DE ILLA RATIONE,

QUAE

INTER PLEBEIAM PUBLICAMQUE APUD ROMANOS RELIGIONEM REGUM TEMPORIBUS INTERCESSIT.

DISSERTATIO ARCHAEOLOGICO-PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXVIII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

IACOBUS VASEN,

RHENANUS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA ASCHENDORFFIANA.

MDCCCLXVIII.

V. D.

KAROLO KIESEL,

DOCTORI PHILOSOPHIAE,

GYMNASII DUESSELDORPIENSIS DIRECTORI,

AQUILAE RUBRAE IV. CL. EQUITI ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

Praefatio.

Priscae res et conditio Romanorum densis adhuc tenebris obvolutae sunt. Nondum constat inter doctissimos viros, quae fuerit ipsius Romae origo, unde primi urbis incolae, praecipue priscae illae tribus oriundae sint; sub iudice lis est fuitque inter ipsos antiquos rerum scriptores, quippe qui nonnullis demum saeculis postea ad describendas res Romanas sese accinxerint, quae fuerit ordinis patricii notio et circuitus, quando undeque clientes plebeiique originem sumpserint, quae iuris agendique ratio intercesserit inter comitia illa curiata, tributa, centuriata. Exstant iam inde ab antiquis temporibus multae de his rebus disquisitiones, et nostris potissimum temporibus clarorum virorum ingenia haud defuerunt, qui revolvendis prisci illius aevi temporibus rebusque multam operam tribuerunt, atque novam plane et ab antiquis scriptoribus diversam iudicii viam monstraverunt. Hos doctissimos viros in opinionibus et iudiciis suis admodum inter se differre nemo est qui miretur, quum fontes illi, dico antiquos scriptores, quorum ex operibus omnis fere tractandae rei materia sumenda est, ipsi vel incuria rerum tractatarum vel nimia credulitate vel propter difficultatem veri anquirendi falsa admodum et prorsus inter se discrepantia tradiderint. Ita posteris demum, qui verus fuerit illarum rerum status, perspicere licebit; fortasse propter remotum illud tempus fontiumque quam diximus per-

dum propter etymologiam nimis perversam ea auctoritate caret, quam alias viri illius et ingenium et indoles flagitat; eumque posteriores de his rebus auctores omnes fere secuti esse videntur, ut de se S. Augustinus et Tertullianus saepenumero confitentur. Qui viri quum saepe nimio christianae religionis studio eo deducti sint, ut vel ex una parte res contemplentur vel de una alterave parte tantummodo agant, tum Ovidius, qui in Fastorum et Metamorphoseon libris Romanae religionis cultusque sacra et mysteria tradidit, tanta incuria, malignitate, impietate in deos populi Romani consuluit, ut merito vir quidam doctissimus [1]) de eo iudicare posset haec: „Ovide, flatteur corrompu, proscrit par une cour corrompue, se joue lui-même des fictions qu'il raconte." Ceteri vero, qui de nostra re passim agunt, Macrobius, Festus, alii omnes ex illis vel antecedentibus auctoribus materiam suam sumpserunt et in eorum quodammodo verba iuraverunt. —

Propter hanc fontium perversitatem et defectum unusquisque intelliget haud facile fore opus, quod aggressuri sumus. Non enim ea antiquorum scriptorum lectio et cognitio nobis praesto esse potest, ut omnes locos nostram rem spectantes noverimus; et fortasse propter hanc inscitiam

---

[1]) Constant, du polythéisme Romain, considéré dans ses rapports avec la philosophie Grecque et la religion chrêtienne, I, p. 6; quocum iudicio cf. ipsius Ovidii fast. I, 65: Iane biceps, —

Solus de superis qui tua terga vides;

et eiusdem libri v. 129. sqq., ubi eodem de Iano haec habet:

Nomina ridebis; modo namque Patulcius idem
Et modo sacrifico Clusius ove vocor.
Scilicet aeterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.

Qui summum vetustatis Romanae deum se ipsum deridentem et quodammodo exsibilantem introducit, quique maiores suos, Sallustio piissimos mortales, rudes appellat, de eorum religione minime curavit. Qua de causa, si testem hunc poetam adhibebimus, ea tantum considerabimus, quae non de natura, sed de externa numinis cultusve specie tradidit.

in anquirenda illa ratione et religione a recta via et vera cognitione longius aberraverimus: sit venia studio nostro rectum quidem petenti, praesertim quum praeter unum, quantum scimus, neminem habeamus, qui de nostra materia iam egerit, ceterique viri docti, quum saepius de prisca patriciorum religione et de cultu posterioris aevi suas sententias in medium protulerint, hunc nostrum campum rudem et intactum reliquerint. Unum illum quem diximus, Kriukowium (Dr. Pellegrino), opus nostrum aggressi ducem nobis elegeramus, quum librum composuerit, qui inscribitur: „Andeutungen über den ursprünglichen Religionsunterschied der römischen Patrizier und Plebeier. (Leipzig 1842.)" Sed opusculo hoc perlecto neque sententia eius neque argumentatio nobis placuit. Magna quidem doctrina magnaque antiquorum scriptorum cognitione munitus statim ab initio coniecturae coniecturam imponit, ita, ut omne eius aedificium in aëre quodammodo collocatum firmo stabilique fundamento careat. Deinde repugnans omnibus, quae tradita sunt, et illis potissimum viris, qui nostra aetate amplissimis studiis, summa diligentia, sagacissimo ingenii acumine res Romanas tractaverunt et illustraverunt, ut alios mittamus errores, discrimen inter patricios plebemque intercedens nequaquam in civili ambarum partium conditione ponit, sed in diversa tantum religione. Omnes igitur patriciorum deos symboli quod vocatur instar quiritium (hastarum purarum) speciem et imaginem habuisse contendit, ideoque cultum eorum appellat „einen Lanzenkult" vel „einen quiritischen Cult." Plebi vero deos tribuit, quorum imagines signa essent et statuae, eiusque religioni „einen anthropomorphistischen Charakter"; quae statuae quum in Etruria praecipue primumque moris essent, plebem quoque ab Etruscis oriundam facit. Ad confirmandam hanc sententiam quum nimis indulgenter sententias O. Mülleri [1]) sequatur, tum eo pervenit, ut plebem

[1]) Quas protulit in libro, qui inscribitur „Die Etruscer". —

antiquissimam rei publicae Romanae partem esse confirmet, ipsumque Romulum, ut Servium et Tarquinios, regem plebeium. Celeres quoque qui vocantur, plebeium collegium fuisse ait negatque civiles priorum saeculorum contentiones aliud quidquam fuisse, nisi certamen inter ambas religiones ortum et pugnatum. Nos aliam viam ingrediemur, et non e religione, cuius ille naturam minus recte intelligit, originem plebis explicabimus, sed de origine, quam satis perspectam habemus, ad priscam religionem conclusionem faciemus, quum quaeque natio, prout indole moribusque praedita est, sua sibi numina finxerit, aut, si ex prisca summi numinis revelatione quae vocatur temporum decursu paganitatis quodque genus ortum esse censes, hanc primam numinis cognitionem commutaverit. Unde efficitur necesse esse de origine plebis et, quae cum hac cohaereat, de ea ratione pauca praefari, quae in rebus sacris inter plebem et servos clientesque intercesserit.

I.

Quaeritur, quae fuerit plebis origo, quaeque ratio in rebus sacris inter plebem, servos, clientes intercesserit.

Originem plebis primus quidem Niebuhrius recte intellexit et illam Romanae rei publicae partem merito seiunxit a clientibus illis, quibuscum plebeii a Livio, Dionysio, aliis confunduntur. Niebuhrius et omnes fere nostri temporis scriptores rerum Romanarum plebem Romanam ab Albanis illis oriundam faciunt, quos diruta Alba Tullus Hostilius in monte Coelio collocavit; [1]) quibuscum Anco Marcio rege incolae Politorii, Tellenae, Ficanae vel Fidenarum et Medulliae coniuncti esse traduntur. Hanc plebis originem rationibus locisque ab antiquis scriptoribus petitis iuvare et confirmare eo minus necessarium videtur, quum hac de re ipse Niebuhrius (Römische Geschichte I, p. 120. sqq.), Schweglerus (R. G. I, 14, 9.), Beckerus (Handbuch der römischen Alterthümer II, 1. p. 133 sq.), Langius (Römische Alterthümer I, §. 55.) longe lateque et in nostram quidem sententiam egerint. Quae ex eorum sententiis ad nostram rem necessaria ducimus, priusquam proponamus, patriciam illam Ramnium tribum, unde oriunda sit, in medium proferre nos oportet.

---

[1]) Livius I, 30. —

De origine Ramnium eadem sententia sumus, qua Niebuhrius, Beckerus, Langius, qui Ramnes vel prorsus ab Alba quoquo modo ortos esse dicunt, vel concedunt e gente Latina eos prodiisse: Tities et Luceres unde originem ducant, hoc loco anquirere nos non oportet. Quodsi Livius aliique tradunt a Romulo asylum amplificandae urbis causa institutum omnesque fugitivos illos et advenas in civium numerum receptos esse, ideoque Ramnes mixtam mirum in modum gentem fuisse — hoc eum nobis sensum habere videtur, ut omnes, qui in asylum confugerant, clientes facti sint. In civium numerum recipi non poterant, primum quidem, quod illi homines diversissimae gentis, multi fortasse propter flagitia sceleraque e sua patria eiecti erant, deinde, quod propter diversam religionem Romuleae civitatis participes fieri nullo modo poterant. Ne quis nobis obiiciat religionem non praebuisse impedimentum, quominus omnes advenae reciperentur, quum regno demum constituto religio a Romulo et a Numa potissimum introducta sit. Ea enim est perversa Romanorum plerumque sententia, ut, quae iis antiquitus tradita sunt, ab aliquo priscorum regum instituta esse censeant; unde priorum regum unum regni conditorem, alterum religionis administratorem, tertium regni amplificatorem fuisse volunt. Imo, negari non potest illos, qui Romam condiderint, et religionem et administrandae rei publicae formam e suis oppidis secum tulisse. Itaque, qui in asylum confugerant, modo aliena stirpe orti essent, Romanorum ex more ad sacra publica aditum non habebant. [1]) E gente igitur Latina Ramnes ortos esse satis probasse nobis videmur.

Ad plebis denique originem ut revertamur, haec vera nobis videntur: Primam plebis partem incolae Albae Ro-

---

[1]) Occasione data monemus, si Romulum, Numam alicuius rei auctorem fuisse dicemus, ex sententiis recentiorum scriptorum non illos nos reges dicere, sed illud tempus illamque rei publicae conditionem, cui quisque tamquam auctor tribuitur.

mam transducti effecerunt. Primores Albanorum gentes in patres lectae sunt (cf. Livius l. l.); atqui, quum patres soli priscam civitatem Romanam efficerent, et expressis verbis primores Albanae gentes in patres lectae a reliquis Albanis separentur, hos civitate donatos esse contra Livium (l. l.) omnino est negandum. Itemque Dionysius Halicarnasseus errat, quum dicat (III, 37): „*Πανδημεὶ κατήγαγεν εἰς Ῥώμην καὶ κατένειμεν εἰς φυλάς.*“ Falso certe illi scriptores arbitrantur tam ingentem [1]) Albanorum, Politoriensium, aliorum populorum numerum ex agris suis arripi et Romam deduci potuisse, ubi tantam multitudinem vel eo loco collocatam esse volunt, qui, quum paludibus antea obrutus esset, tum postea forum Romanum continebat. Imo, illi homines plerumque in suis oppidis, villis, pagis relicti sunt, quod Servius quoque (ad. Virgil. Aen. I. 7.) indicat: „Hanc autem (Albam) quum evertisset Tullus Hostilius, omnes nobiles familias (apud Livium principes) Romam transtulit“; ignobiles igitur, quarum numerus maior erat, in agris remanserunt [2]), ibique agriculturae praecipue vacaverunt [3]): id quod in iudicio de plebeiorum religione ferendo magni momenti erit.

---

[1]) Cfr. Dion. Hal. IX, 25. —

[2]) Hoc Schweglero quoque placuit, qui l. l. I, 13, 5. haec habet: „Aus diesen Gründen (quas rationes antea attulit) ist es wahrscheinlich, dass der weitaus grösste Theil der Plebs auf seinen Grundstücken sesshaft geblieben ist. —

[3]) Dilucide de hac re idem Schweglerus (l. l. I, 14, 9.) agit eamque his antiquorum scriptorum verbis comprobat: Servius Tullius, ut plebis auxilio regnum sibi conciliet, agricolas in urbem convocat secundum Dionys. IV. 12: . . . *ὁ Τύλλιος . . . προεῖπεν ἡμέραν ἀρχαιρεσιῶν, εἰς ἣν ἐκέλευσε καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἅπαντας παρεῖναι.*“ Tarquinius vero Superbus, ut ipse rex crearetur, illud tempus exspectavit, ubi plebs metendis frugibus dedita ruri diffusa erat, quod tradit idem auctor l. l. IV, 38. Accedit, quod ea concilia plebis, quae comitia tributa vocantur, nundinis habebantur, quibus diebus agricolae in urbem venire consueverant, ut tradit Macrobius Saturnal. I, 16, 34: „Rutilius scribit Romanos instituisse nundinas,

Obiecerit aliquis huic sententiae iam a Numa novem fabrorum collegia constituta esse [1]: quae quum patricia esse non possent [2], Numae iam temporibus Romae plebem fuisse et fabrorum operationibus sese dedisse. Qui ita cum Livio, Dionysio, Plutarcho facit, falso iudicare et in eo errare nobis videtur, quod, quum postea plebem in amplificata urbe habitantem eiusmodi operationibus deditam videat, hanc conditionem ad priscam quoque plebem transfert. At posteriorum temporum plebs colluvies est priscorum plebeiorum urbanorum, et multorum, quos undique obscuro loco natos quaelibet causa Romam duxerat, et illorum, qui antea patriciorum clientes fuerant; qui quomodo paullatim ad plebem transierint, dilucide Langius (cf. Handbuch der römischen Alterthümer, Patrone und Clienten) monstravit. Sed si perspexerimus, quod priscis temporibus inter clientes et plebem, et tertium illud hominum genus civitate carens, dicimus servos, religionis cultusque discrimen intercesserit, ad illustrandam nostram rem magnum adiumentum habebimus.

Priscis et posteribus temporibus servi, undecunque orti erant et quoquo modo in servitutem venerant, non ut homines, sed prorsus ut res tractabantur, quibus nihil, in quos omnia liceret; quibus omnis libertas plane erepta erat. Suos igitur deos, si quos habuerant, colere certe iis non licebat, scilicet illo tempore, de quo agimus; licebat postea, quum peregrini servi vel nobilibus Romanis suam religionem tradebant. At antiquitus ut merae res et instrumenta, quibus aliquid perficeretur, in sacris publicis et

---

ut octo quidem diebus rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent.“ —

[1]) Cf. Plutarchus Numa c. 17. —

[2]) Dion. l. l. IX, 25: „. . . . *οὐδενὶ ἐξῆν Ῥωμαίων* (sc. patriciorum) *οὔτε κάπηλον οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν*,“ quod certe non tam lege aliqua, quam consuetudine Romanorum vetitum erat.

privatis ministri adhibebantur, velut si eorum operatione natura sacrorum minime tangeretur et violaretur.[1])

Plane aliter erga patriciorum religionem clientes sese habebant. Cum Langio et Beckero clientes eos Latii incolas esse censemus, quorum in potestate ager Romanus Romanorum ante occupationem fuerat. Qui post expugnatam terram maxima agrorum parte privati reliquam coluerunt, iure civili ita privati, ut pro se ipsi agere non possent: ideoque singulis patriciorum gentibus additi sunt, quarum sub tutela in publicis rebus essent, a quibus ipsi plane prohibiti erant; verisimillimum est ad hos clientes eos quoque accessisse, qui Romuli aetate in asylum confugerant. Hoc antiquissimis temporibus accidit, ubi, quum in ipsos filios patri ius necandi esset, in captivos clientesque gentium illarum dominium gravius esse certe non poterat. Imo, religione quadam clientes et patroni invicem ita coniuncti erant, ut in omnibus rebus, privatis publicis sacris, sese adiuvarent, ut clientela affinitate sanctior haberetur. Hoc Cato probat apud Gellium (in Not. Att. V, 13, 4.): „Quod maiores sanctius habuere defendi pupillos, quam clientem non fallere. Adversus cognatos pro cliente testatur; testimonium adversus clientes nemo dicit.“ [2]) Legibus quoque duodecim tabularum, quae ad compescendam plebem gravia nonnulla edixerant et contulerant, cautum erat, ne patronus in clientem male consuleret; quarum legum unam Servius (ad Virg. Aen. VI, 608.) his verbis refert: „Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto.“ Servio Dionysius consentit, quum dicat (II. 10.): *Εὶ δέ τις ἐξελεγχθείη τούτων τι* (malum infligendi) *διαπραττόμενος, ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὅν ἐκύρωσεν ὁ Ῥώμυλος·*

---

[1]) Cf. Livius, IX, 29: „ . . . . Appio auctore Potitii, gens, cuius ad aram Maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos, ministerii delegandi causa, sollennia eius sacri docuerat. — Cfr. quoque eiusdem libri c. 34.

[2]) Cf. quoque Dionys. l. l. et Plut. Romul. 13. —

τὸν δὲ ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν, ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός. Quam arte igitur religione patroni (patricii) et clientes inter se coniuncti fuerint, his scriptorum verbis elucet; qua de causa, id quod ad nostram rem spectat, mirandum non est, quod clientes sacrorum gentiliciorum participes erant, et hoc quidem probat Dionysius (l. l.): (*Τοὺς δὲ πελάτας* (clientes) *ἔδει) ἔν τε ἀρχαῖς καὶ γερηφορίαις . . . . τῶν ἀναλωμάτων ὡς τοὺς γένει προσήκοντας μετέχειν.*" Hoc clientibus prisco illo tempore datum est, eoque facilius permitti poterat, quum tunc unumquodque religioni obnoxium esset, ut tutela, de qua agimus, quumque ad gentilicia tantum sacra adire illis liceret. Deinde vero, quum Numa coniunctione Ramnium et Titium et commixtione Latinorum Sabinorumque numinum certam et absolutam religionis formam et administrationem constituisset, ne Luceres quidem in patriciorum cultum, quantum scimus, nova sacra introduxerunt: plebi certe, quum in rem publicam ita perfectam introiret, neque ad patriciorum religionem, neque propter hanc ipsam, quae in re publica tanti momenti erat, ad aequabilitatem iuris et capessendam rem publicam aditus patebat.

Postquam igitur vidimus, quomodo servi clientesque erga religionem patriciorum sese habuerint, huius religionis naturam propius considerabimus; quo perfecto de plebeiorum conditione melius iudicare poterimus. —

II.

Quaeritur, quae fuerit patriciae religionis natura.

Publica Romanorum religio eo, quod a Romulo et Numa iisque regibus instituta esse traditur, plane aliam atque ceteras religionis speciem, finem, naturam habuerit necesse est, id quod primo aspectu facile cognocismus. Non ex cura et animo quem nos dicimus pio illa emanavit. Quum Graecorum dii a summo quodam principio exierint, certam formam habuerint, generatione et affinitate invicem cohaereant, Romanorum prisci dii nulla fere ratione inter se juncti nobis obviam fiunt; nullum consanguinitatis vinculum inter eos intercedit.[1] Ianus ille, antiquissimus et summus deus, absoluta solus stat majestate, uxore carens: nam si quando Iana commemoratur, ceterorum deorum dearumque ratione habita addita est; et hos quoque, mares et feminas, coniugii vinculo coniunctos fuisse minime constat. Imo, dii masculinum illud, procreans, deae femininum, concipiens in rerum universo principium indicare videntur. — Species vero illorum numinum tam abstrusa,

[1] Cf. Schwegler. l. l. I, 4, 9: Uebrigens scheint der vorliegende Sagenkreis, was sowohl die Umsetzung jener Götter in Könige, als die Verknüpfung derselben durch den Begriff physischer Zeugung betrifft, verhältnissmässig jung und vom Einflusse der griechischen Mythologie nicht frei zu sein; denn die Idee geschlechtlicher Erzeugung von Göttern . . . . durch Götter ist . . . . überhaupt der altitalischen Religion . . . . ursprünglich fremd.

tam vaga, tam non certis formis induta est, ut mirum quantum distet a pulcherrimis Graecorum deorum figuris, et praecipua fortasse causa fuerit, cur amplius centum et septuaginta annos post urbem conditam Romani effigies statuasque deorum non habuerint. [1]) Deinde religioni illi, quam publice cives amplectebantur, certus finis erat propositus, et ipsa artissime cum populo Romano, qualis ubique nobis apparet, cohaeret vel potius talem eum reddidit. Reges eam instituerunt, rectores civitatis, et in ipsa quidem constitutione civitatis: unde factum est, ut omnis conditio rei publicae a religione pendeat. Quum singuli cives civitatem efficiant, singulorum ratio habita est, quumque inculti illi feris admodum moribus vitam degerent, unumquodque vitae momentum et quilibet status actiove religione deorum coercenda et regenda erat. [2]) Unde quum auspicia et sacra publica, tum innumera illa „quasi plebeiorum minutorumque deorum" turba prodiit, qui deinceps invicem insequentes homini a conceptione usque ad funus et in unaquaque vitae conditione suo quisque tempore auxilium ferebant et colendi erant. Ingenti deorum numero, qui „grandibus voluminibus" continebatur, respondent sacrorum ritus, quorum „diligentiam difficilem, apparatum perfacilem esse voluit (Numa); nam quae discenda quaeque observanda

---

[1]) Cfr. S. Augustin. d. civit. Dei IV, 31: „Dicit enim (Varro) antiquos Romanos plus quam annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse; quem fortasse secutus Plutarchus (Numa 8.) haec habet: „*Οὗτός τε διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα θεοῦ Ῥωμαίοις νομίζειν, οὐδ' ἦν παρ' αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν οὔτε πλαστὸν εἶδος θεοῦ πρότερον, ἀλλ' ἐν ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσιν .... ἄγαλμα .... οὐδὲν ἔμμορφον ποιούμενοι διετέλουν.* —

[2]) Haec est sententia Polybii, qui (l. l. VI, 56.) sic scribit: „....*ἐμοί γε μὴν δοκοῦσι τοῦ πλήθους χάριν τοῦτο πεποιηκέναι· εἰ μὲν γὰρ ἦν σοφῶν ἀνδρῶν πολίτευμα συναγαγεῖν, ἴσως οὐδὲν ἦν ἀναγκαῖος ὁ τοιοῦτος τρόπος. ἐπεὶ δὲ πᾶν πλῆθός ἐστιν ἐλαφρὸν καὶ πλῆρες ἐπιθυμιῶν παρανόμων, ὀργῆς ἀλόγου, θυμοῦ βιαίου, λείπεται τοῖς ἀδήλοις φόβοις καὶ τῇ τοιαύτῃ τραγῳδίᾳ τὰ πλήθη συνέχειν.* —

essent, multa constituit, sed ea sine impensa“ (Cicero de rep. II, 14, 27). — Quae ceteroquin ejusmodi religio cultusque propria habebat, ad nostram rem nihil pertinent.

In eiusmodi igitur civitatem, ubi religio cum publica salute tam arte cohaerebat, ubi cives certa ratione divisi, ubi deorum cultus certis sacerdotiis traditus et confisus erat, plebs ingressa est. Quae quum in agris passim habitaret, tot illa numina colere non poterat, quippe quum agrestibus hominibus proprium sit gravia tantum magnaque illa coeli naturaeque prodigia et portenta contemplari et tamquam deos timere, neque ille qui Romae floruit anxius et definitus deorum cultus apud eam prodire poterat, qui in civitate bene constituta certe locum habebat. Itaque si religionem cultumque patriciorum plebeiorumque, quales in re publica Romana fuerunt, comparare volumus, cognito patriciorum cultu, qui multis locis ab antiquis rerum sriptoribus tractatur, primum quidem anquirendum erit, qui fuerint dii plebeiorum, antequam Romanorum in potestatem venerint. Quod si, quantum in tam raro fontium auxilio fieri poterit, satis perspexerimus, eandem hanc plebeiorum religionem considerabimus, ubi in rem publicam Romanam recepti sunt et illam rationem intuebimur, qua in re publica suam religionem retinuerint vel publicum deorum cultum amplexi sint. —

III.

Quaeritur, qui fuerint plebeiorum ante dominium Romanorum dii.

Si de religione aliqua agitur, considerandum est, qui sint huius religionis dii eorumque natura; qua ratione numina colantur; num unicuique sacra pateant vel singulis num sacerdotiis tradita sint.

Quae licet in omni religione spectanda sint, tamen veniam petimus, si in nostra tractatione hoc investigandi officio non in omnes partes functi sumus. Nam quum de plebeiorum religione ex iis temporibus pauca tantum tradita sint, ubi illi iam Romani erant, tum de antiquiore tempore, ubi suis adhuc legibus et institutis florebant, nihil fere patet, et, quae in medium proferimus, ex institutis posteriorum temporum et ex relationibus Romanorum, non propriorum illis scriptorum eruenda sunt: de sacris deque reliquo cultu nihil compertum habemus.

Omni igitur cuiuscunque originis nationi insita vel tradita vel quoquo modo comparata est alicuius numinis notio. Illud numen sive ex Christiana ratione unum fuisse accipis, quod suam naturam homines edocuerit, sive ex rerum universo ab hominibus ipsis inventum et cognitum esse, nihil ad nostram rem confert: ex alterutra ratione, si hominum tantum indolem consideramus, complurium deorum religio prodire potuit. Nam quum summus aliquis deus

oculis hominum non appareret, paullo cum rerum universo confusus est, vel, ubi pura dei cognitio nunquam floruit, illud universum ipse deus esse videbatur; et quum potentia eius in rebus naturalibus naturaeque prodigiis monstrisque appareret, hae vires speciesque paullatim, sublato uno numine, seorsum et divisae exstiterunt, sensimque ipsae ab hominibus veri numinis natura et potentia indutae sunt. Quam necessaria religio hominibus sit, exemplis vel ferissimorum populorum probatur; atque, quum vitae incultae, pastorali vel agresti, homines antiquitus vacarent, vires illas, quae sensibus obversabantur, in locum deorum efferrent et agrestem ut ita dicamus religionem sibi componerent vel adipiscerentur necesse erat. Eiusmodi naturalis vel agrestis religio, commutata, prout homines indole moribusque affecti erant, apud omnes nationes usque ad illud tempus floruit, ubi cogitando et ratiocinando singuli puriorem de diis notionem sibi parare studebant. Ad hunc culturae gradum omnes prisci Latii populi postremis demum temporibus ascenderunt: olim naturali illi religioni addicti erant; quod quam recte se habeat, postea elucebit, ubi singula plebeiorum numina anquisiverimus.[1])

Quodsi igitur negari non potest plebem ante Romanorum dominationem proprios deos necessario habuisse et coluisse, videndum est, qui fuerint hi dii eorumque notiones.

Iis, quae diximus, probatur unamquamque nationem pro sua natura et indole suos sibi deos fingere vel commutare; et quum natura ex origine praecipue pendeat, et omnino cum origine religio cohaereat, plebis

---

[1]) Hoc loco monuerimus, ne quis censeat plebeios deos propterea, quod primis temporibus plebs nimis premebatur et ab omnibus publicis sacerdotiis sacrisque prohibebatur, viliori natura et dignitate fuisse. Imo elucebit hanc plebeiorum religionem patricia fortasse praestantiorem fuisse, quum eo purior et nobilior sit aliqua religio, quo propius ad unius numinis notionem accedat, et quo magis ab alienis, imprimis publicis rebus, libera et aliena sit.

deos optime cognoscemus, si illos deos noverimus, quos homines eadem atque plebeii stirpe orti coluerunt.

Plebis originem cum optimis antiquarum rerum scriptoribus iam supra a gente Latina duximus; qua de causa plebeiorum numina eadem nobis esse videntur, atque illa, quae passim per Latium olim colebantur. Sed in anquirendis his numinibus eos auctores locosque, qui aliquem deum et per Latium et Romae cultum habuisse tradunt, plane omittemus, ut nulla numina habeamus, nisi quae a Latinis ideoque a plebeiis culta esse pro certo affirmare possumus, quae si invenerimus et cum iis diis contulerimus, quos apud Romanos sacra habuisse scimus, discrimen vel rationem iam satis statuere poterimus, quae inter hos patricios plebeiosque deos intercesserit. —

Ac primus quidem ex illa Latinorum numinum serie obviam nobis fit priscus [1]) ille Ianus, quem posterioribus temporibus vel ipsi Romani tam indigenam deum esse censebant, ut cum nullo Graecorum deo eum conferre vel confundere possent. [2]) Quare Dionysius, qui ipse Graecus Latinas res ubique cum Graecis comparare studet, „*ἐπιχώριον*“, [3]) i. e. Latinum eum deum appellat. [4]) Colebatur hic deus a fratribus illis Arvalibus, quos ante Romam conditam jam exstitisse plurimi accipiunt eorum, qui de hoc collegio egerunt. [5]) Deinde maximi momenti est, quod Ianus, quum Ramnes a Latinis oriundi (vid. supr. pag. 9.) a Sabinis admodum urgerentur, apud portam Ianualem quae postea

---

[1]) Ov. Fast. I, 103: „. . . . sum res prisca.“ —

[2]) l. l. I, 89. sqq: „Quem tamen esse deum te dicam, Iane biformis?
Nam tibi par nullum Graecia numen habet.“

[3]) Dion. III, 22.

[4]) Consentiunt cum Dionysio Herodianus Hist. I, 16: „(*Ἴανος*) *θεὸς ἀρχαιότατος τῆς Ἰταλίας ἐπιχώριος*“ et Procop. Bell. Goth. I, 25: „*Ὁ Ἴανος πρῶτος ἦν τῶν ἀρχαίων θεῶν (οὓς δὴ Ῥωμαῖοι γλώσσῃ τῇ σφετέρᾳ πένητας (πενάτας) ἐκάλουν.)*“

[5]) Cf. Marini, Atti de Frat. Arval. prooem. p. 32.

vocatur, Latinis auxilium tulisse traditur. [1]) Praeter illam portam Ianualem auctore Livio [2]) sacrum Iani erat „apud infimum Argiletum", quod, si Beckerum (l. l. I, p. 259.) sequimur, in regione Suburana situm erat in radicibus collis Quirinalis, quem collem Sabini obtinuerant. Numa, e stirpe Sabina ortus, aram illam vel quidquid fuit, constituere non poterat, id quod Macrobii verbis antea probavimus; Romulum, cuius cetera instituta religiose referuntur, hoc fecisse non comperimus, et, si fecisset, certe in urbe Palatina illud sacrum condidisset: unde apparet aram illam Iani ad infimum Argiletum sitam iam ante Romam conditam exstitisse, ideoque Ianum deum esse priscorum incolarum. Haec sententia confirmari nobis videtur eo, quod in Esquiliis quoque antiquitus illi locus sacer erat. [3]) Tradunt saltem rerum auctores hoc sacrum a Tullo Hostilio institutum esse ad expiandum scelus Horatii illius, qui victis Curiatiis sororem suam interemerat. Sed ut mittamus, quanto iure narratio illa a recentioribus in dubium vocetur: Iano neque a Sabinis in Esquiliis ara condi poterat (quam rem supra probavimus); neque ab ipso Tullo Hostilio, quum „adventicii" tantum dii extra pomoerium colerentur, et Esquiliae illo tempore non Septimontium regione, nedum urbe Palatina continerentur. [4]) Accedit, quod, ut fieri solet, ubi ipsae numinum notiones evanuerunt nec quidquam, nisi

---

[1]) Macrob. S. I, 9: „ . . . cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex aede Iani per hanc portam magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse multasque perduellium catervas .... deperisse." —

[2]) Liv. I, 19: (Numa) Ianum ad infimum Argiletum (quod igitur sacrum ut notum et tunc jam exstans auctor implicite adhibet) indicem pacis bellique fecit." —

[3]) Cf. Dion. III, 22. — Festus s. v. sororium.

[4]) Cf. Tacit. Ann. XII, 23: „Et pomoerium auxit Caesar (Claudius), more prisco; . . . . nec . . duces Romani (hoc) . . . usurpaverant, nisi L. Sulla et divus Augustus."

vetustatis memoria superest, Ianus in fabulis primus Italiae rex appellatur,[1]) qui in monte Ianiculo arcem oppidumque Ianiculum habuerit.[2]) — His omnibus efficitur Iani vel ab antiquissimis temporibus per Latium cultum floruisse, praesertim illis locis, unde plebs oriunda est. Illius vero dei notio optime respondet naturae Latinae plebeiaeque religionis, quum plebem agricolas fuisse comprobaverimus. Est enim, si primam nominis notionem consideramus, ille lucis deus vel ipse sol,[3]) et, quum lux et sol diem, annum, unumquodque fere temporis spatium regant, Ianus agrestibus hominibus, quippe qui naturae vires maxime colant, primo summoque cultu et veneratione dignus videretur necesse erat. A solis denique, qui omne tempus incipit, notione Ianus cuiuscunque initii et in tempore et in spatio positi principium est. Omnino Ianus in illa religione *οὐράνιον*, coeleste naturae principium et. Ei opposita sunt alia numina, quae *χϑόνια*, terrestria vocantur, quorumque nonnulla deinceps percurremus.

Ianum in imperio Latii vel Italiae secutus esse traditur S a t u r n u s,[4]) cui uxori datur Ops dea; ab illo Italia Saturniae nomen induit.[5]) Sed haec quoque numina posterioribus demum temporibus et Euhemeri praecipue de diis sententia et narratiunculis in regum loco collocata sunt. Saturnus principium illud naturae indicat masculinum, generans, producens, ut Ops naturae vim femininam, concipien-

---

[1]) Macrob. l. l. I, 7, 19: „Regionem istam, quae nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. — Cfr. quoque Ov. Fast. I, 241, 599. —

[2]) Cf. Ov. l. l. I, 245 sqq; — Virg. Aen. VIII, 355. sqq. — Macrob. l. l. I, 7. 19. —

[3]) Cf. Schwegleri „Römische Geschichte“ I, 4, 10. annot. 3. —

[4]) Cf. Ov. Fast. I, 233. — Macrob. S. I, 7, 21: „ . . . Ianus cum Saturnum classe advectum excepisset hospitio, ... regni eum societate muneravit.“ —

[5]) Cf. Ov. Fast. I, 237. sqq. — Dion. Hal. I, 34. — Macrob. Sat. I, 7, 24, — Fest. s. v. Saturnia. —

tem. Unde Saturnus omne genus conserendi notionem habet, ideoque agriculturae deus est, cui agrorum colendorum institutio tribuitur [1]). Hac de re jam pro certo affirmari potest Latinis, qui agriculturae potissimum dediti erant, magnum numen Saturni fuisse; id quod ab auctoribus probatur. Erat enim Saturni, fortasse etiam Opis in clivo Capitolino locus sacer, qui Palatina Roma antiquior fuisse traditur [2]). Quod si Varro (secundum August. de civ. dei IV, 23.) Saturno Opique a Tito Tatio Sabino aras dedicatas esse vult ideoque concludi possit Sabinos fuisse illos deos, hoc nequaquam nostrae sententiae repugnat, quum, quod postea probabitur, complures dii apud Sabinos aeque atque apud Latinos colerentur.

Alius prisci Latii deus est Mars. Varro quidem (l. l. V, 73.) dubitare videtur, utrum Sabinis an Latinis eum concedat, quum dicat: „Mars ab eo, quod maribus in bello praeest, aut quod a Sabinis acceptus: ibi est Mamers.“ Sed nihil inde efficitur nisi Sabinis quoque hunc deum non ignotum fuisse. [3]) Latinis eum Varro concedit. Idem significare censemus fabulam illam, qua Romulus Remusque Martis filii esse dicuntur: nam quum mater Rhea Silvia e gente Latina orta esset, certe non a peregrino deo pueros concepit. Deinde, si originem Latinorum altius indagamus, in montibus illis antea eos habitasse inveniemus, qui circa priscum Reate siti sunt, [4]) et in illa regione complura Martis sacra fuerunt, ut antiquissimum Martis templum

---

[1]) Conf. Virg. Aen. VIII, 321. — Macrob. l. l. I, 7, 21.

[2]) Cf. Varro V, 42. — Dion. H. I, 34. — Plin. H. N. III, 99: „Saturnia, ubi nunc Roma est.“ —

[3]) Cui quidem Varronis sententiae plerique recentiorum scriptorum merito repugnare mihi videntur, quum Martem Ramnibus, i. e. Latinis, Sabinis Quirinum tribuant. —

[4]) Cf. Dion. I, 14: „. . . ἦσαν δὲ (Ἀβοριγίνων πόλεις) ἐν τῇ Ῥεατίνῃ γῇ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν οὐ μακράν, ὡς Βάῤῥων Τερέντιος . . . . γράφει.“ —

Lunae situm, itemque oraculum ejus in urbe Tiora. [1]) Sed Mars ille non idem est, qualem postea cum Ἄρει Graecorum confusum eum invenimus. Prisca Martis notio et natura prodit ex carmine fratrum Arvalium [2]) et ex cognomine Gradivi, quae vox non tam Martem per pugnam incedentem significat, quam deum segetes circumgredientem et tuentem. [3]) Mars igitur agrestis deus est, cui eo potius a Latinis sacra fieri poterant. Haec nostra sententia eo iuvatur, quod in priscis Latii oppidis sacerdotia eius erant: florebat enim Albae collegium Saliorum, qui Marti sacra faciebant, [4]) itemque Tibure et Tusculi. [5]) Unde sequitur, ut inter antiquissimos Latii deos Mars pernobilem locum obtinuerit. Pici quoque regis pater, avus Fauni appellatur; quae numina mere Latina fuisse et una cum Marte aliisque terrestre illud naturae principium effecisse vel potius diversa eius cognomina fuisse recte Schweglerus (l. l. I, 1, 4. Nro. 14.)

[1a]) Dion. l. 1: „Ἀπὸ δὲ ταύτης (τῆς Οὐεσβόλας) τετταράκοντα σταδίοις διῃρημένη πόλις ἐπιφανὴς Σούνη, ἔνθα νεὼς πάνυ ἀρχαῖός ἐστιν Ἄρεως.“ — [1b]) l. l. „Ἀπὸ δὲ Ῥεάτου . . . τοῖς ἐπὶ Λατίνην ὁδὸν ἰοῦσι . . . Τιώρα ἡ καλουμένη Ματιήνη· ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεως γενέσθαι πάνυ ἀρχαῖον.“ —

[2]) Cfr. carmen illud fratrum Arvalium (Act. fratr. Arv. tab. XLI a sec. Mommsen. „Röm. Gesch.“ I, p. 147: „ . . . . Ne! veluerve, Marmar, sins incurrere in pleores! Satur furere Mars, limen sali, sta berber! . . . . Enos, Mars iuvato! —

[3]) Cf. Schwegler I, 1, 4, Nro. 13. — Cato de r. r. 141: „Mars pater, te precor, ut tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis defendas averruncesque. —

[4]) Cf. Orell. Inscr. 2247: „L. ANTISTIVS CN. F. HOR. SARCVLO ANTISTIA SALIVS ALBANVS.“ etc.; ib. 2248: „P. AEL. P. F. PAL || TIRONI || SALIO ARCIS ALBANAE“ . . . .

[5]) Cfr. Orell. l. l. 2249: „C. TERENTIVS || VALENS || IIIIVIR. AEDIL || POT. PRAEF. Q. Q. SAL || . . . . PATRONO MVNICIPES.“ (Tibure inventum). Quocum coniungas, quaeso, Serv. (ad Aen. VIII. 285.) haec verba: „Et Tiburtes Salios etiam dicaverant . . . . Habuerunt sane et Tusculani Salios ante Romanos.“

docuit, cuius ingeniosam probationem hic referre non iuvat: nobis satis erit Martis Latinam originem monstrasse. —

Terrestrium numinum serie ita in medium prolata ad alium deum transeamus, qui Iano fortasse non coaevus Tarquiniorum ex temporibus in eius locum successit, quique, licet non liqueat, quomodo erga summum illum Ianum sese habuerit, tamen per priscum Latium colebatur. Ille deus Iupiter est, quocum coniungamus liceat Iunonem. Iupiter diversis nominibus florebat: Diovis, Diovino appellatur, quod affatim probat Ambroschius l. l. p. 144. sq; ubi eidem deo Latino Lucetii quoque nomen vindicat. Deinde ut mittamus locum Varronis (ap. Tertull. adv. Nat. II, 12.), ubi dicitur: „Varro antiquissimos deos — fortasse Romanorum — Iovem, Iunonem et Minervam refert" — Iovis cultum ubique per Latium divulgatum invenimus. Tusculi colebatur deus Maius appellatus, quod Macrob. S. II, 12. his verbis probat: „ . . . . apud quos (Tusculanos) nunc quoque vocatur Deus Maius, qui est Iupiter, a magnitudine scilicet et maiestate dictus." Idem colebatur in monte Albano, teste Dionysio (IV, 49.), sicut omnino Iupiter Latii montibus gaudebat.[1]) Atque notissimus est Iupiter ille Latiaris, cui libenter cum Ambroschio (l. s. l. ann. 57.) a prisca Alba oppidisque cum ea foedere coniunctis in edito quodam et conspicuo Latii loco sacra facta esse concesserimus. Praeneste suum habuit Iovem Imperatorem, quem expugnato oppido in Capitolium devectum esse refert Livius (VI, 29.). Deinde Iupiter ibi colebatur, ubi Latinae originis Ramnes habitabant, ut in Palatio; itemque in Fagutali, atque, licet antea negaverimus eos nos deos allaturos esse, qui Romae colebantur, tamen fa-

---

[1]) Orell. 1213: „HERAISCVS || EGGIAE NERVLLAE || SER. IOVI || AMARANO || ARAM POSVIT." (Inventa est in vico Locosano, hodie Montemarano appellato.

cere non possumus, quin hic Iovem Fagutalem[1]) nominemus, quum ex Varronis verbis infra annotatis appareat apud fagum quandam Iovis sacrum fuisse, et eiusmodi cultus, ut Iovis Dodonaei, priscus ideoque fortasse Roma antiquior sit. — Haec de Iove, quem Latinum deum fuisse satis docuimus: de Iunone idem probare possumus. Haec enim dea, quam Iovis uxorem fuisse posteriores Romani voluerunt, sedem habebat Laurentii;[2]) Iunonem Albanam commemorat inscriptio 1288. Orelli;[3]) Iunoni Caprotinae nonis Caprotinis „in Latio" mulieres sacrificabant teste Varrone (l. l. VI, 18.); Gabiis Iuno „religiosissime" colebatur secundum Servium (ad Aen. VII, 682.); item Ereti, cuius oppidi nomen idem auctor (ad eiusd. loc. v. 711.) falso vel a graeco Iunonis nomine (*ἀπὸ τῆς Ἥρας*) derivare conatur. Iuno igitur e numero Latinorum numinum erat, atque, ne quis censeat postea demum ex urbe eius cultum in illa oppida translatum esse, inspiciat Livii VIII, 14, ubi auctor ille refert Iunonem Lanuvinam cum diis Ariciae, Pedi, Nomenti post pacem demum a. u. 417. cum Latinis factam in religionem Romanam receptam esse, et pag. 22. ann. 3. extr.

Ultimo, non tamen infimo inter ea, quae anquirere instituimus, Latinorum numina loco Vestam ponere volumus, quae dea re vera Latina est, licet ei a Numa Sabino auctore Dionysio (II. 50.) Romae templum sit dedicatum. Colebatur enim Lavinii, quod tradit Servius,[4]) et Albae, auctore Iuve-

---

[1]) Cf. Varro. l. l. V, 32: „Fagutal a fago, unde etiam Iovis Fagutalis, quod ibi sacellum."

[2]) Macrob. Sat. I, 15: „Quod etiam Laurentes patriis religionibus servant, qui et cognomen deae ex caerimoniis addiderunt, Kalendarem Iunonem vocantes." —

[3]) „IVNONI. ALBANAE || M. POPILLIVS M. F. || PAL. FVFFILIANVS || VI VIR. AVG. || DONVM DEDIT. —

[4]) Ad Aen. II, 296: „ . . . quod cum consules et praetores sive dicta-

nale,[1]) itemque Tibure.[2]) Omnino omnibus Latii oppidis, et conditis et si qua nova conderentur, commune fuisse videtur, ut in media urbe focus publicus constitueretur cum sanctuario Vestae, civitatum familiaeque tutricis, et penatium, quos quaeque civitas colebat. —

Habes igitur seriem quandam numinum, quorum religio per priscum Latium divulgata erat: quibus diis licet alii adiungi possint, tamen nobis in nostra tractatione satis esto hos principes novisse. Qua quidem in re lugendum est, quod de eorum cultu nihil ab antiquis rerum scriptoribus servatum traditumque est, nisi quod sacrorum cura singulis sacerdotum collegiis confisa erat. Ita Praeneste suos pontifices habebat;[3]) Tibur atque Tusculum Salios, id quod iam supra de Marte disserentes probavimus; Lupercos Praeneste et Laurentum.[4]) Lanuvii erant Flamines, quod docet Cicero in oratione pro Milone;[5]) Fetiales Albae fuisse concludi potest ex Livii I, 24: „Iubesne me, rex, cum patre patrato (erat is Romae quoque quodammodo praeses Fetialium) populi Albani foedus ferire?" et ex verbis infra insequentibus: „Audi pater patrate populi Albani!"[6])

---

tores abeuntes magistratu Lavinii sacra penatibus simul et Vestae faciunt etc." —

[1]) Iuv. Sat. IV, 61:
Utque lacus suberant, ubi, quamquam diruta, servat
Ignem Troianam et Vestam colit Alba minorem. —

[2]) Cfr. Orell. n. 2230: „SAVFEIAE ALEXANDRIAE || V. V. TIBVRTIVM, ... TIBVRTES MIRAE EIVS INNOCENTIAE .... POSVERVNT etc." —

[3]) Cfr. Serv. ad Aen. VII, 687. —

[4]) Cf. Orell. n. 2251; 2252: „P. SVFENATI.... LVPERCO LAVRENTI .... MVNICIPES OB MERITA EIVS L. D. D. D." —

[5]) Cic. l. l. X, 27, et Orell. ad. h. l. —

[6]) Quod si quis censeat Livium fortasse ex similitudine a Romanorum sacris collegiis facta Albanis Fetiales tribuere, obstant cetera sacerdotia a nobis allata, quae certe Latinis oppidis derogari non possunt.

Neque minus virgines Vestales, cuius deae cultum Latii oppidis haud ignotum fuisse demonstravimus, nonnullis civitatibus tribuuntur. Ita Livius haec habet (I, 20.): (Numa) virgines Vestales legit Alba oriundum sacerdotium et genti conditoris haud alienum;“ et Cicero (de legg. II, 1.) de Arpino sic dicit: „Hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia.“ Idem probat Dionysius (II, 65.): *Τὴν γοῦν ἵδρυσιν τοῦ ἱεροῦ* (sc. *τῆς Ἑστίας*) *Ῥωμύλῳ τινὲς ἀνατιθέασι τῶν ἀμηχάνων νομίζοντες εἶναι πόλεως οἰκιζομένης ὑπ᾿ ἀνδρὸς ἐμπείρου μαντικῆς μὴ κατασκευασθῆναι πρῶτον ἑστίαν κοινὴν τῆς πόλεως, καὶ ταῦτα ἐν Ἄλβᾳ τοῦ κτιστοῦ τραφέντος.*“ —

IV.

Conferuntur plebis ante dominationem Romanam numina cum publicis Romanorum diis.

Haec igitur, ut comprobavimus, praecipua sunt prisci Latii numina, quae ab aliis sacerdotiis in aliis oppidis aliud aliis fortasse sacris et caerimoniis colebantur; atque, quum ex Latii oppidis pagisque plebs Romana orta sit, eosdem haec illos deos venerata sit necesse est.

Quos igitur deos si conferimus cum iis, quos in indigitamentorum quae vocantur libris enumeratos fuisse Varro asseverat [1]), nullum fere ex his plebeiis diis ibi deesse invenimus; atque si cum iis diis eos comparabimus, quos a Romulo institutos esse Ennius et Livius tradunt, et quos in numero selectorum deorum fuisse S. Augustinus memoriae prodit, facere non possumus, quin, exceptis iis, qui e religione Sabinorum vel Graecorum in Romanum cultum introducti sunt, priscos Latinos plebeiosve atque Romanorum selectos deos eosdem esse dicamus. Sunt enim apud Ennium (fragm. XLV. ed. Vahlen.) ita illi dii Romanorum compositi:

---

[1]) Deos Romanos in indigitamentis ennumeratos conquisivit et in ordine disposuit Ambroschius in libri sui, qui inscribitur „Ueber die Religionsbücher der Römer, Bonn 1843", pgg. 11 sqq. —

„Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi' Neptunus, Vulcanus, Apollo";

et Livius, ubi lectisternium illud commemorat a decemviris sacrorum a. u. c. 535. institutum, hos (XX, 10.) affert; „(Sex pulvinaria in conspectu fuere:) Iovi ac Iunoni (unum; alterum) Neptuno ac Minervae; (tertium) Marti et Veneri; (quartum) Apollini et Dianae; (quintum) Vulcano ac Vestae: (sextum) Mercurio ac Cereri." Hos deos e numero selectorum fuisse concludi licet e verbis S. Augustini, ubi, quos selectos Varro enumeraverit deos, affert (de civ. d. VII, 2): „Hos certe deos selectos Varro unius libri contextione commendat: Ianum, Iovem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem, Tellurem, Cererem, Iunonem, Lunam, Dianam, Minervam, Venerem, Vestam, in quibus omnibus ferme viginti duodecim mares, octo sunt feminae."

Ex his posterioris aevi diis selectis Ramnium tribui proprii sunt hi fere: Ianus, et Iupiter Iunoque; Saturnus et Ops, Vesta et Mars. [1]) Reliqui partim Sabina numina sunt, ut Genius, Vulcanus, Sol, Luna [2]); partim Graeca vel eiusmodi numina, quae, quum eandem fere habuerint

---

[1]) Hos deos, ad quos accedunt Picus, Faunus, Vedius, Ramnibus proprios fuisse sagacissime probavit Ambrosch., cuius egregium opus, ne diutius moram faciamus, laudasse et imprimis p. 144—154. citasse nobis satis esto. —

[2]) Cf. S. Aug. l. l. IV, 23: „Ut quid Titus Tatius addidit Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum, Lucem, et quoscunque alios addidit"; — et Varro l. l. V. 74: „. . . quae Tatii regis voto sunt Romae dedicatae; nam, ut Annales dicunt, vovit Opi Floraeve; Diovi Saturnoque; Soli, Lunae; Volcano et Summano, itemque Larundae, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianae Lucinaeque." Quod si Saturnus, Ops, Veiovis, Diana, Mars, Iupiter, Iuno apud Sabinos quoque cultum habuisse dicuntur (cf. Schwegl. l. l. 4, 21. p. 250.), quum de omnibus non liqueat, tum nobis non repugnat, quum eos deos, quos Latinos fuisse docuimus, a Sabinis coli potuisse non negaverimus. —

notionem cultumve, cum singulis Graecorum numinibus confusa sunt; quorum Beckerus (l. l. III, 304. sqq.) affert Apollinem, Dianam, Cererem, Ditem patrem, Mercurium, Venerem; ut mittamus alios.

Hos igitur deos vel Sabinos, vel Graecos, vel Latinos natura et notione commutatos si separaverimus ab eorum numero, quos Varro sui temporis deos selectos appellat, ea fere numina supersunt, quos et Schweglerus (vid. locum antea laud.) Beckerusque (Handbuch der römischen Alterthümer IV, p. 27.) Ramnibus tribuunt, et nos apud priscos Latii incolas ideoque apud plebem posterioris aevi cultos esse diximus atque eidem huic plebi merito supra vindicasse nobis videmur. Nostrae vero sententiae id suffragatur, quod omnia fere collegia Romae antiquitus ad colendos deos instituta passim in oppidis Latinis inveniuntur, id quod pagin. 25. probavimus; atque quum illa instituta et collegia Romanis similia sint, non sine aliquo iure propter hanc ipsam rem Latinis quoque sacerdotiis et incolis eosdem deos tribuimus. Qua in re si non fallimur, deorum quoque selectorum originem explicare haud difficile nobis videtur. Sunt enim ii dii, quos ab origine sua Ramnes Romuli coluerant quique postea indigitamentorum Pompilianorum formulis diu distracti et obruti erant. Postea vero, quum populus Romanus ad agendum propensus magna illa „minutorum deorum“ turba nimis coerceretur, quumque illi propter novorum numinum introductionem ad pontifices et sacerdotum collegia recederent et reiicerentur, Romani originis suae sibi conscii ad praecipuos vetustatis deos redierunt, et, ubi novarum rerum studium in religionem semel irrepsit, eos tamen potissimum novos deos adsciverunt, qui vel cultu vel notione cum priscis illis diis cohaerebant; quos quidem mox illae quoque, quas Varro luget, turpitudinis maculae contaminaverunt.

Atque inter indigitamentorum et haec prisca Latinorum plebisque numina ea ratio intercedere videtur, ut Numa, vel quisquis Romanum cultum constituerit, illorum

numinum vel singula cognomina, quae in diversis Latii oppidis gerebant, vel singulas vires, facinora, res, loca, quae eorum dominio subdita erant, in deorum potentiam et honorem extulerit et auxerit; unde, quum e. g. diis qui vocantur χθονίοις tam amplum sit dominium tamque diversae rerum gerendarum vices, quumque unicuique fere vitae humanae momento singulisque hominum actionibus et conditionibus deus quasi auctor et tutor praeponeretur, grandia illa „certorum deorum" volumina orta sunt [1]), quorum numerus et natura et obscoenitas interdum antiquis illis christianae religionis defensoribus, ut S. Augustino, Tertulliano miram cavillandi materiam obtulerunt. Quodsi ipse Augustinus nostrae sententiae repugnasse et plebi, non patriciis, innumeros illos deos tribuisse videtur, quum dicat (l. l. IV, 11.): „turba quasi plebeiorum deorum", hoc nihil ad rem refellendam confert, quum „plebeiorum" vocabulum contemptionis quid in se habeat et illum sensum redoleat, quem posterius aevum voci „plebis" subdere consueverat, quemque a plebeiis diis longe abesse iam antea probavimus. Quin imo, si excepto Iano ceteros deos, id quod facillime fieri potest, χθονίων vel terrestrium deorum sub notione comprehendimus, et haec terrestria numina ex sententia Schwegleri [2]) uni principio subiungimus, eo pervenimus, ut priscae Latii religioni duo tantum divina principia vindicemus, quorum alterum, coeleste illud Iani numen, intactum et indivisum mansit, alterum vero terrestre,

---

[1]) Aug. d. c. d. IV, 8: „Nomina deorum aut dearum, quas illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt."

[2]) Cfr. Schweglerus l. l. IV, 14, p. 234: „Die mythischen Könige Latiums reduciren sich hiernach (causas huius sententiae antea protulit) im Grunde auf zwei: den Ianus einerseits und die vielnamige Erd- oder Unterweltsgottheit andererseits. Es ist dieselbe Grundeintheilung in obere oder himmlische und untere oder chthonische Götter, welche uns auch in der griechischen Religion entgegentritt. —

ut hominibus hominumque actionibus propius collocatum, diversis locis diversum nomen cultumque obtinuit. [1])

Ex iis igitur, quae diximus, apparet illos homines, qui in deditionem Romanorum recepti postea plebis nomen induerunt, ubi suo arbitrio suisque legibus adhuc florebant, eosdem deos coluisse atque eos, qui primi rem publicam Romanam constituerunt; quae nostra sententia eo firmari videtur, quod, quum in religione apud Latinos omnes res tum privatae tum publicae versarentur et fundamentum haberent, Albani cum Romanis ante dirutam Albam connubium habebant, id quod nunquam fieri potuisset, nisi eosdem vel similes saltem deos et sacra utrique habuissent. Fabula enim, quae de Horatiorum et Curiatiorum singulari certamine narratur, quocunque modo explicatur, id quidem docet connubium inter duas illas nationes intercessisse, quum Horatiorum soror uni Curiatiorum sponsata fuerit, atque, quum in iungendis quoque matrimoniis auspiciis opus esset [2]), et auspicia eundem cultum flagitent, eosdem deos Ramnes saltem et Albani habuerint necesse est. Sed quum Albanorum maxima pars, quique Latinorum eadem eos ratione secuti sunt, in rem publicam Romanam ingressi sint, postquam e Latina Sabinaque religione mira illa Romana religio a Romulo Numave vel a quovis alio quodammodo confusa est, quumque publica eorum conditio, quae arte cum religione

---

[1]) In hac re mecum facit Schweglerus (R. G. IV, 12. p. 227.): „Ueberhaupt, je mehr man zusieht, und je weiter man zurückgeht, um so mehr reduciren sich die Gottheiten der römischen Religion, und man kommt am Ende darauf hinaus, dass diese Religion, was Spätere nur gefolgert haben, wirklich in ihrem Grund und Ursprung eine monistische — sei es monotheistische, sei es pantheistiscshe — Religion gewesen ist.“

[2]) Cic. de div. I, 16: „Nihil fere quondam maioris rei nisi auspicato, ne privatis quidem, gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissa nomen tantum tenent.“

cohaerebat, admodum commutata sit, haec quoque religio novam formam induerit necesse est.

Quum naturam religionis Romanae a religione plebeiorum peralienam esse ex iis, quae disseruimus, satis constet, quaerendum erit, quomodo plebs in Romanam civitatem recepta erga publicam illam religionem sese habuerit; qua in re primum quidem considerandum erit, num plebi licuerit suos deos retinere. —

V.

Quaeritur, num plebi Romanorum in ditionem redactae proprios deos retinere licuerit.

Deditionis formula, qua Romani hostes suos recipiebant, auctore Livio (I, 18.) haec est: „Deditisne vos populumque, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus.“

Quam formulam qui legerit, futile fortasse cassumque censebit anquirere, num Latini illi, postquam plebeii facti sint, sua numina suumque cultum vel omnino vel partim retinuerint.

Sed, ut hoc primum consideremus, ea hominum natura est, ut, quae antiquitus tradita habeant, summa religione vel in miserrima conditione collocati retineant; id quod in Latinos praecipue cadit, qui, natura moribusque tam severis, in religione summam salutem ponebant, et, quum publicarum rerum curam et administrationem plane amisissent, suam religionem, quae agrestibus hominibus cordi esse solet, modo privatim, certe retinuerunt. [1]) Neque vero

[1]) Huic nostrae sententiae minime repugnant verba Livii (I, 30.): „(Albani) sacra . . . oblivioni dederant, aut fortunae, ut fit, obirati cultum reliquerant deûm,“ quum hoc loco auctor ille de diis Albanis loquatur, qui in urbem deducti erant. Quid inter hos et eos, qui ruri manserant, discriminis intercesserit, infra explicabimus. —

ad publicam religionem statim accedere potuerunt, et quod eam ignorabant, et quod ab iis, quae adamaverunt, ad nova subito transire homines non possunt, et quod a gentibus patriciorum, quorum praecipue in manibus publicus cultus erat, quominus id facerent, prohibebantur. Itaque, quum sine religione omnino vivere non possent, suam primis temporibus retinerent necesse erat; neque ab hac re aut a regibus aut a patriciis retinebantur. Scimus enim Tarquinium Priscum talem plebis fautorem fuisse, ut in novas tres tribus eam distribuere vellet; qua re plebeii certe publici cultus participes exstitissent, nedum suo cultu ab illo rege privarentur. Neque minus ceteri reges plebeiorum studiosi fuisse videntur, quorum auxilio freti auctoritatem et potestatem haberent adversus crescentem in dies patriciorum superbiam et potentiam. Patricios vero vel iis temporibus, ubi regibus expulsis ipsi rem publicam administrabant et immensa aeris alieni copia plebem vexabant, plebeiae religioni pepercisse breviter ostendemus.

In publica religione quum deorum cultus certis paucisque sacerdotum collegiis confisus esset, numerus deorum minime certe definitus et circumscriptus erat. Illorum enim singulae vires et actiones ipsae divino nomine formaque indui solebant, unde mirus ille certorum deorum numerus prodiit. Illud Romanorum studium vel posterioribus temporibus non evanuit, quum auctore Livio (V, 50.) Aio Locutio sacrum dedicatum sit a. u. 367. Eiusmodi posterioris aevi numina sunt Tutanus (cf. Varro ap. Nonium 339.) et Rediculus (Paul. s. h. v.) et Aesculanus atque Argentinus, qui dii introducti sunt, ubi aëneis et argenteis nummis Romani primum usi sunt. Quin eo pervenerunt, ut, quum timerent, ne ignotos deos negligentia omitterent et offenderent, hos quoque colerent, quapropter Cato (de re rust. 139.) haec habet: „Lucum conlucare more sic oportet. Porro piaculo facito: Sic verba concipito: Si d e u s si d e a e s t, quoium illud sacrum est, uti tibi ius siet porco piaculo facere.“ Unde patet Romanos, cum religiosissimi essent erga

numina vel ignota, notos plebeiorum deos, quorum ipsi nonnullos colebant, contemnere vel abolere non potuisse. Imo, iam inde a Romulo rege apud eos moris erat, ut, quum urbes diu obsessas vi expugnare non possent, deas deosve singularum tutores vovendis templis sacrisque sibi propitios et benignos reddere et ex suis sedibus oppidisque evocare studerent; quo perfecto certam fore victoriam sperabant. Ita Veiis Iunonem Reginam evocarunt eique templum in Aventino locarunt teste Livio (V, 23.); unde postea tot tantisque oppidis expugnatis et eversis permagnus ille adventiciorum deorum numerus prodiit. Attamen illud inter indigenas et adventicios deos discrimen intercessit, ut peregrinum aliquem deum intra auspicatum pomoerium coli nefas haberetur [1]) et illi dii, qui postea magnis honoribus floruerunt, ut Apollo, Diana, Venus, usque ad extrema liberae rei publicae tempora extra priscam urbem sacra sedesque haberent. Eodem peregrinorum studio et favore commoti ad Graecos postea deos sese converterunt, adeo, ut neglectis paene indigenis numinibus Graeci dii in honore essent. Ex iis, quae diximus, apparet plebeios quoque deos non in contemptu fuisse, certeque expugnatarum urbium, quas antea plebs habitabat, penates Romam devectos ibique publice, partim quidem, cultos esse, praesertim, quum non tam natura, quam ratione cultus a Romanis diis differrent. Praestat eius rei exemplum Livius, (I, 31.), qui Albanos deos Romae quoque collocatos proprio cultu

[1]) Probatur verbis Macrobii (Sat. I, 12.): „Pulso Tarquinio (Brutus) sacrum Carnae deae in Coelio monte voti reus fecit“ et Tertulliani (ad. Nat. II, 9.): „Hoc enim arae docent adventiciorum (deorum) et fanum Carnae“ plerosque adventiciorum deorum templa in monte Coelio habuisse: Apollinis antiqui simum sacrum extra pomoerium fuisse docet Ambroschius (l. l. p. 171, ann. 66.); atque Iunoni Reginae, quae Veiis evocata erat, iam supra monstravimus templum in monte Aventino constitutum fuisse, quem montem postea demum ab imperatore Claudio intra pomoerium receptum esse docemur a Tacito (Ann. XII, 23.).

sese coli voluisse tradit. Neque minus peregrinis licebat suos deos sua ratione venerari, modo ne publicus eo cultus cohiberetur et turbaretur [1]), neve intra sanctum pomoerium sacra fierent. Probasse igitur nobis videmur Romanos erga peregrinos deos affatim toleranter egisse et eadem de causa plebi, quae haud spernendam rei publicae partem efficeret, propria numina cultumque minime eripuisse. Iuvat nostram sententiam locus ille Livianus (I, 31.), quem paullo inferius integrum laudabimus, ubi auctor ille sic habet: „. . . sacra Albana (Albani) . . . . oblivioni dederant, et fortunae, ut fit, obirati cultum reliquerant deûm.“ Ex verbis „oblivioni dederant, fortunae obirati reliquerant“ apparet plebem urbanam sponte, non a Romanis coactam suos deos suaque sacra abiecisse, ideoque retinere potuisse. —

Si quaeritur, quomodo plebeii deos suos retinuerint vel quales, considerandum est, num ruri manserint necne, deinde, qua natura illi dii fuerint; atque hoc prius tractabimus.

Ea multorum apud Latinos deorum natura erat, ut certis quibusdam locis colerentur neque inde tolli sese paterentur. Eiusmodi Romanorum dii nobis traduntur Mars, Terminus, Iuventas, quae numina, quum Tarquinius templum illud clarissimum in monte Capitolino conditurus esset, loco se decessura esse negabant (Aug. c. d. IV, 23.); eiusmodi omnes fere illorum deos fuisse ex Livii verbis (V, 51. sq.) apparet, qui, quum tribuni plebis Roma a Gallis incendio vastata populum agitarent, ut Veios emigraret, Camillum sic loquentem facit: „Equidem, si nobis cum u r b e s i m u l p o s i t a e traditaeque per manus religiones nullae essent, tamen etc. . . . (c. 52.) Urbem auspicato inauguratoque conditam habemus: n u l l u s l o c u s in ea non

---

[1]) Cfr. Livius (XXV, 1.), qui sic habet: — neu quis in publico sacrove loco novo aut externo ritu sacrificaret.“ Nova igitur vel peregrina sacra Romae facere licebat, modo ne locis illo edicto vetitis fieret.

religionum deorumque est plenus, sacrificiis sollennibus non dies magis stati, quam loca sunt, in quibus fiant. . . . Qu. Fabius, quum inter Gallica tela degressus ex arce sollenne Fabiae gentis in colle Quirinali obiit? . . . in Iovis epulo num alibi, quam in Capitolio, pulvinar suscipi potest? . . . (Maiores) sacra quaedam in monte Albano Lavinioque nobis facienda tradiderunt. An ex hostium [1]) urbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit: hinc sine piaculo in hostium urbem Veios transferemus?" Apparet igitur ex oratione Camilli omnes fere Romanorum deos topicos [2]), locales fuisse, et ex verbis „an ex hostium urbibus etc." non solum Romanorum, verum etiam ceterorum Latinorum, quibuscum Romani proeliis congressi erant, deos hoc proprium habuisse: Lanuvinorum quidem penates Dionysius (I, 67.) tradit, quum Romam translati fuissent, bis in suas sedes rediisse. Quod quum de omnibus diis, qui urbibus singulis praesidio erant, confirmari non possit, quum ingentem multitudinem Romani evocaverint, saltem statui possit in oppidis illis expugnatis ea numina incolis relicta esse, quae localem tantum naturam habebant; quorum quidem nomina numerumque ignoramus. Illos vero deos, qui maxima apud hostes auctoritate et religione florebant quique evocari poterant, Romam translatos esse ex iis, quae disseruimus, patet: qui, in publicum cultum recepti, partim singulis sacerdotum collegiis confisi sunt, ut dii Tusculani sodalibus sacrorum Tusculanorum (Varro l. l. VI, 16. — Orelli. 2183.), partim singulis gentibus, ut hac fortasse de causa gens Aurelia Solem, Sabinum deum, colebat (Festus s. v. Aureliam familiam). Attamen horum deorum sacra, quae publica manebant, ab illis discernenda sunt, quae mere gentilicia fuerunt.

---

[1]) Spectant certe haec verba Camilli ad Lanuvinos. —

[2]) Cf. Serv. ad Aen. V, 47: „Dii topici, i. e. locales, ad alias regiones nunquam transeunt."

Magni deinde momenti locus est, ubi plebs habitabat. Ea enim pars, quae in urbem demigraverat, quum quotidiana consuetudine cum patriciis viveret, eorumque cultum aspiceret, eo mox pervenisse videtur, ut sua deos colendi ratione paullatim neglecta patriciorum publicum cultum et propterea deos quoque amplecteretur. Religione enim plane carere non poterant: atqui Livius (I, 31.) haec habet: „Devictis Sabinis nuntiatum regi Patribusque est in monte Albano lapidibus pluisse. Quod quum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium in conspectu . . . crebri cecidere coelo lapides. Visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis loco, ut patrio ritu sacra Albani facerent, quae, velut diis quoque simul cum patria relictis oblivioni dederant, et, aut Romana sacra susceperant, aut fortunae, ut fit, obirati, cultum reliquerant deûm." Apud Albanos discrimen fuisse inter cultum patriciorum [1]) et plebeiorum nusquam audimus; itaque illa Livii verba de omnibus Albanis dicuntur, qui Romam deducti erant, non tam de primorum gentibus, quibus in patres lectis ex more Romanorum summa proprios deos colendi libertas erat; et plebs, quae Romae erat, patriciorum plerumque religioni, sed privatim, sese addixerat. [2]) Hoc eo facilius fieri poterat, quum, ut docuimus, nonnulli deorum Romanorum cum

---

[1]) Si de patricio cultu agimus, illum dicimus, qui ab urbe condita publica autoritate sub regibus floruit, quemque, commutatis tantum sacerdotiis, quorum ius a regibus ad patricios transiit, integrum ad hos pervenisse scimus. —

[2]) Ne quis nobis obiiciat plebeiorum cultum a patriciis omnino contemptum esse, quae in suos deos plebs peccata commisisset, a patriciis piaculo lui non potuisse, ideoque illa Albana sacra, quorum Livius mentionem faciat, plebeia non fuisse: imo, quam religiose plebeium cultum publici sacerdotes observaverint et quam anxie plebeiorum quoque prodigia procuraverint, postea latius probabimus. Hoc certe elucet sacra Albana, si omnino neglecta sunt, a plebeiis neglecta esse, quippe qui in tam misera conditione Romae constituti gravissimam causam haberent, cur negligerent et missos facerent suos deos, a quibus tam foede destituti esse videbantur. —

priscis plebeiorum numinibus confundi possent, et, id quod probatur dictionis formula a Livio tradita, certe praecipua plebis numina cum suis sacris Romam translata essent.

Attamen illa plebs, quam in urbe viventem suos deos vel partim vel omnino neglexisse vidimus, neque maior neque melior pars erat: plurimi longe in agris resederant, et, quum agrestium animorum proprium sit anxie et religione quadam conservare, quae antiquitus tradita sint, illam plebis partem diutius patrios deos retinuisse veri simile est. Quos domi deos coluerint, dici non potest, quum ignoremus, quos Romam victores transtulerint. Iis saltem diis Romani pepercisse videntur, qui certo cognomine et cultu aliquo loco colebantur, i. e. localibus diis. In eorum numero apud Lanuvinos certe penates illi erant, qui bis in pristinas sedes redierunt. —

Itaque quum liqueat plebem a patriciis minime prohibitam fuisse, quominus proprios deos coleret — modo id ratione postea explicanda fieret — quumque, ubi liceret, certo eos retineret, quumque constet hanc religionem et hunc cultum, ubi neglectus esset, propter prodigia illa receptum et restauratum esse: nostrae sententiae admodum favet et opitulatur, quod plebi licebat vel novos deos sibi fingere et introducere. Ex antiquissimis quidem, de quibus nos agimus, temporibus nihil ad comprobandam nostram rem habemus: at facillime tale quid credi potest. Nam si regum temporibus acciderit, mirum non est, quum, ut supra monuimus, nonnulli ex regibus plebi admodum faverent: attamen de eorum quoque temporibus hoc concludere eo potius possumus, quum novorum deorum introductio in libera re publica liceret, ubi plebs a patriciis tantopere vexabatur et opprimebatur. Eorum numinum nonnulla afferre nobis liceat.

Praecipua posterioris aevi plebeia numina sunt tria illa, Ceres, Liber, Libera; quae numina si contendimus plebi vel a plebe introducta esse, possit fortasse nobis obiici, quod illorum nomina priscis iam temporibus apud

Romanos inveniantur. Fratres enim Arvales, licet Cererem ipsam plane ignorent neque in carminibus suis celebrent, deum aliquem invocant his verbis: DVONVS CERVS ES [1]); ubi a masculina forma „Cerus" feminina „Ceres" derivari posse videtur. [2]) Liberum deinde cum Libera in indigitamentis pontificum nominatum fuisse confirmat S. Augustinus (d. c. d. VI, 9; 11; VII, 2; 3; 21.); eaque numina procreationi et partubus hominum, animalium, frugum praefuisse et adfuisse. Sed licet haec argumenta fortasse probare possint tria illa numina plebi quoque ex suae religionis diis remansisse, tamen plebeii dii illi Liber, Libera, Ceres non ii sunt, qui apud Latinos inveniuntur, sed novam plane notionem et cultum acceperunt, ideoque tanquam peregrini dii a plebe accepti sunt. Illa enim numina, quibus A. Postumius dictator in pugna apud lacum Regillum pugnata templum vovit, ubi postea plebiscita deponebantur et apud quod eorum familiae vendebantur, qui tribunos plebis violassent, eadem sunt et habebantur, quae Graecorum *Δημήτηρ*, *Διόνυσος*, *Περσεφόνη*, quibuscum facile conferebantur et confundebantur, quum hi quoque dii cuivis generationi et procreationi praesiderent; eorumque cultus Romae quoque Graeco ritu fiebat. [3])

Alia plebeiorum dea, cuius quidem origo et notio [4]) huc minus pertinent, quam vero apud antiquos Latinos non invenimus, postea magno cum gaudio et cura a plebe colebatur [5]): dicimus Annam Perennam, cuius in festo „ut annare perennareque commode liceret" invicem optabant.

---

[1]) Cfr. Mommsen. Unterital. Dialecte, p. 133. —

[2]) Cfr. Paul. p. 122. M. s. v. Matrem Matutam: „in carmine Saliari Cerus manus intelligitur creator bonus"; quocum ad firmandam nostram rem conferatur Serv. ad Georg. 1, 7: „Ceres a creando dicta. —

[3]) Cic. pro Balbo 24, 25: „Sacra Cereris per Graecas semper curata sunt sacerdotes et Graeca omnia nominata."

[4]) Cfr. Klausen., Aeneas u. d. Penaten V, p. 717. —

[5]) Ovid. F. III, 523. sqq. —

Quae quam mera plebeiorum, quam infensa vel saltem non propitia patriciis dea fuisse videatur, fabula illa probatur, quae narrat anum quandam Annam Perennam plebi, quum iterum in montem sacrum secessisset, unoquoque die panem libaque attulisse indeque divinum postea honorem accepisse.

Tertium numen mere plebeium, Pudicitia plebeia, posterioribus temporibus nobis obviam fit, ubi ea adhuc in rebus sacris potestate et auctoritate patricii vigebant, ut a suis sacris plebem arcere possent. Nam quum Virginia, matrona patricio ordine nata, L. Volumnio, consuli ex plebe orto nupsisset, ab iratis patriciis prohibita est, quominus in aede Pudicitiae patriciae sacra faceret; qua de causa novum ipsa fanum condidit novae deae, Pudicitiae plebeiae, auctore Livio (X, 23.).

Cum his numinibus coniungi potest Fortuna illa plebeia.

Postquam igitur praecedentibus capitibus docuimus plebem ante dominium Romanorum proprios deos habuisse eorumque, partim quidem, nomina protulimus, postquam probavimus hos deos a plebe vel omnes vel plerosque retineri potuisse, quaerendum est, quomodo plebeia religio et ipsi plebeii, ubi in rem publicam Romanam ingressi sint, erga publicam religionem cultumque in universum et in singulis rebus sese habuerint.

VI.

Quaeritur, quae ratio et in universum et singulatim inter plebeiam publicamque religionem et cultum intercesserit.

Ex iis, quae antea probasse nobis videmur, apparet inter numina publica et plebeia non id discrimen intercessisse, quod Romae incolas et accolas per ea saecula dirimeret, quibus demum peractis ad praecipua sacerdotia publicumque cultum plebeiis accedere licebat. Quod, quia nihilominus factum est, causam non tam in diversa religione, quam in ipsis hominibus habere oportet; ideoque videamus, quamnam sententiam priores reges et patricii in rebus sacris de se et de plebeiis habuerint.

Tarquinium Priscum scimus id egisse, ut tribus priscis tribubus novas tres adiiceret, in quas plebem reciperet; quod quominus perficeret, a Navio augure prohibitus est. Hoc vero illius regis conamen id spectabat, ut, sicut patricii, ita plebs quoque in gentes divideretur. Penes gentes erant sacra publica et auspicia, et propterea omnis potestas. Tarquinii igitur consilium si peractum esset, quum hanc patriciam auctoritatem plane debilitasset, tum eandem illam potestatem pariter ad plebem detulisset. Sed quum sententia eius non evinceret, priscum illud institutum plebi tam iniquum mansit. Secundum hoc in gentibus religio fundamentum habebat; sua cuique genti sacra erant mane-

bantque; ii, qui aliqua e gente Romana orti erant, civitatem una cum iure magistratuum, sacerdotiorum, sacrorum habebant: qui extra gentes nati erant, hoc iure plane carebant. Singulis igitur patriciis, singulis personis divinitus quodammodo initiatis summa, quae in religione et in re publica obtineri poterant, propria erant; unde certe factum est, ut nonnulla postea gentes divinam sibi originem tribuerent. Ideoque suo iure M. Genucius et C. Curtius consules conqueruntur (Liv. IV, 2.) colluvionem gentium, perturbationem sacrorum Canuleii rogatione introduci. Itaque si quis illam sacrificandi auspicandique potestatem ad alios homines, qui e gentibus orti non essent, transferret, nefarie agebat, quum iis diis adversaretur, quos quaeque gens colebat quique eandem ad maiorem gloriam et potestatem convocaverant. — Sensim vero ius sacerdotiorum et magistratuum ius inter se disiuncta sunt, ita, ut plebs, si non ex sacro aliquo iure, tamen de facto hos capessere posset, et rogatio illa Ogulnia, quae plebi ad sacra et sacerdotia patricia aditum parabat, haud paucis annis postea lata est, quam summi in civitate, ut consulatus, honores plebeiis patefacti sunt. At eodem illo tempore, quum homo de plebe consul esse poterat, interrex, qui comitia creandis consulibus regebat, patricius esse debebat, et ab illo auspicandi potestas quodammodo emanabat et ad consulem plebeium transibat.[1])

Patricii igitur, quorum e numero usque ad Tarquinios plebi faventes omnes reges creati sunt, „genere et sanguine" (Liv. IV, 4.) prope deos constituti esse sibi videbantur. Inde factum est, ut per tot saecula tanta virium contentione omnia sacerdotia et auspicandi ius sibi vindicarent; ut illa sacerdotia, quae summis priscorum deorum sacra faciebant, scilicet flaminia Iani, Martis, Quirini, et munus regis sacrificuli nunquam plebeiis traderent.

Atque quum plebs quoque aliqua ratione cum religione

---

[1]) Cf. Cic. pro dom. 14. —

publica coniungeretur necesse videretur, et pristinus rerum ordo commutari non posset, aliud principium inventum est, quo neque patriciorum in rebus sacris auctoritas iacturam faceret neque plebs religione omnino careret. Quum antea gentes principium religionis efficerent, tunc — quando fuerit, nescimus — Romani, plebeii aeque ac patricii, in locales partes divisi et distributi sunt, quae quum in nonnullis rebus publicis, tum in rebus sacris suam quaeque habebant administrationem. Ita duplex quodammodo patriciis religio orta est: altera, quae in gentibus versabatur quamque propriam habebant; altera, quae localem speciem prae se ferebat illisque cum plebeiis communis erat. Eiusmodi antiquissimae distributionis exemplum praebent septem illi montes qui dicuntur urbani, Cermalus, Velia, Palatium, Fagutal, Cispius, Oppius, Subura, quorum incolae Montanalia celebrabant; et pagi rustici, ubi paganalibus diebus sacra fiebant. Illa vero agri Romani in montes pagosque distributio plebis causa facta esse videtur, quum postea illae feriae a plebeiis praecipue agerentur. Confirmat hanc sententiam praeter Dionysium et Ovidium [1]) claris verbis Cicero (pro dom. 28, 74.), qui haec dicit: „Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani, (quoniam plebi quoque urbanae maiores nostri conventicula et quasi concilia quaedam esse voluerunt), qui non amplissime . . . de salute mea . . . decreverint.“ Haec vero conventicula et concilia religionis causa instituta fuisse et more Romanorum probatur, qui omne in re publica institutum religioni subicerent, et testimoniis confirmari potest. Festos enim pagi dies celebrabant, praecipue lustrationem pagorum, quam magistri pagorum in mense Ianuario [2]) perficiebant. Hoc festum ab unoquoque patrefamilias a. d. IV. Cal. Iun. repetebatur, quo tempore fratres Arvales e patricio ordine lecti Ambarvalia sua agebant; [3]) id quod Ciceronis sen-

[1]) Dion. Hal. IV, 15; Ovid. F. I, 669. sqq. —
[2]) Ov. Fast. I, 667. —
[3]) Cfr. Becker., l. l. IV, p. 411. sq. —

tentiam iuvat, qui pagos plebis causa institutos esse tradit. Aliud illorum pagorum festum erant feriae sementivae [1]), conceptivae quae vocantur, quum non diebus semel fixis agerentur. Accedunt Paganalia vel feriae paganicae (Dion. IV, 15.) et Terminalia, quae a. d. VII. Cal. Mart. locum habebant (Dion. II, 74; Ov. F. II, 639—682.). Illa vero in pagos distributio plebi eo acceptior erat, quum per totam Italiam apud agricolas moris esset. [2]) Post expulsos reges in pagorum locum compita successerunt, [3]) quae eadem ratione suos deos, praecipue binos Lares, et sua sacra habebant; sed quum de illo tempore agere non constituerimus, Compitalicia quae vocantur omittamus. Afferenda vero sunt festa curiarum, quorum plebeios participes fuisse veri simillimum est, non ut ipsi sacra facerent; sed patricii, imprimis singuli curiones, pro omnibus, patriciis aeque ac plebeiis, qui in singularum curiarum circuitu habitabant, sacra votaque solvebant.

Alia eiusmodi festa popularia, quae a plebe quoque celebrabantur, sunt Parilia sive Palilia, Laralia, feriae porcae praecidaneae. Parilia, quibuscum lustratio agrorum coniuncta erat, quum tanquam natalicia Romae haberentur, partim quidem publicae feriae erant; nihilominus tamen a plebe quoque agebantur, auctore Varrone apud schol. Persii I, 72: „Parilia (Palilia) tam privata quam publica sunt apud rusticos.“ Ad eiusmodi locales ferias, si non omnes prorsus plebis causa institutae sunt, tamen, licet pontificibus plerumque auctoribus agerentur, plebeii aditum habebant, non solum regum temporibus, qui pro populo iis diebus sacrificabant, verum etiam in libera re publica, ubi pontifex maximus hoc regis munus obtinuerat; nec quisquam

---

[1]) Lyd. de mens. III, 6. „. . . , *αἱ τοῦ σπόρου ἑορταί, αἱ λεγόμεναι παρὰ Ῥωμαίοις σημαντίβαι, τουτέστι σπόριμοι, οὐκ ἔλαχον ὡρισμένην ἡμέραν.* —

[2]) Cfr. Henzen., tab. alim. Baebianorum p. 76.

[3]) Cfr. Becker. l. l. p. 162. —

lege aliqua prohibebatur, quominus domi quoque privatim illa sacra repeteret. Ita in Laralibus quoque, quae ad placandos Lares instituta erant, et in feriis porcae praecidaneae, ubi Telluri Cererique quotannis ante messem[1]) sacra fiebant, pro populo pontifex maximus vota solvebat; et plebi certe palam domique hos festos dies celebrare licebat, quum ab unoquoque patrefamilias deabus illis sacra fierent.[2])

Quando vero et a quo populi, patriciorum plebisque, illa distributio facta sit, in dubio reliquerimus: fortasse statim peracta est, ubi plebs Romam deducta est, fortasse, quum Tarquinius Priscus prohibitus est, quominus ad plebem iuris aequabilitatem conferret, ut aliquem tamen illa multitudo ordinem et communionem rerum sacrarum haberet, tunc illius regis opera orta est.

Apparet igitur ex iis, quae disseruimus, summum illud principium, quod supra constituimus, secundum quod patricii pro se quisque religionis publicae participes erant, plebeii ea tantum ratione, ut, prout singulas partes urbis vel agri incolebant, eorum sacrorum communionem haberent, quae his ipsis partibus propria erant.

Fortasse in iis, quae supra disseruimus, nonnullis errasse videmur, quum negaverimus plebi omnino gentes fuisse. Sed illud de ea tantum gentium natura et conditione dictum velimus, quam in re publica et religione Romana gentes habebant. Imo, plebeii quoque suas gentes habebant iam ante Romanorum dominationem, licet dubium sit, num in eorum civitatibus illud inter plebem [3]) patri-

---

[1]) Cfr. Festus p. 218a, 17. sqq. —

[2]) De hac re, de tempore illarum feriarum et de sacrificandi ritu, qui adhibebatur, cf. Cato r. r. 134. —

[3]) Si quis nobis obiicit multorum per Italiam oppidorum plebem commemorari, ut Aquileiae (Orell. inscr. n. 4082.), Arimini (ibid. 3997.), Faleriorum (n. 5128.), Perusiae (n. 2531.), Veronae (3438.) aliorum — respondemus, quum omnia illa oppida in Latio sita non sint — quod quidem fortasse haud multum probat — tum inscriptiones illas non de priscis quibusdam, sed de posterioris aevi plebeiis agere, qui a patriciis non tam religione, quam censu differebant. —

ciosque discrimen intercesserit, quod apud Romanos invenimus, neque affirmare possimus idem ibi gentium munus fuisse. Romae quidem plebeias gentes affatim multas invenimus, quarum afferre liceat Aeliam, Afraniam, Anniam, Antistiam, Caeciliam, Calpurniam, Domitiam, Flaminiam, Munatiam, Pompeiam (cfr. Pauly Reallexicon s. v. gentes). Quin etiam illud accidit, ut eiusdem gentis altera stirps patricia esset, altera plebeia. Probat hoc exemplum gentis Corneliae, ex qua Scipiones Sullaeque in patriciorum numero habebantur, Dolabellae, Lentuli, Cethegi, Cinnae in plebeiorum (l. l.). Quod unde factum sit, in dubio reliquerimus, quum gentium origo omnino explanata non sit: fortasse, quum plebs Romam veniret, singulae familiae in gentes comprehensae sunt — quod idem de patriciis gentibus nonnulli censent; — fortasse, cui nos sententiae suffragamur, iam ex suis sedibus plebeii illud institutum secum tulerunt, quum in aliis quoque Latii oppidis gentes commemorentur. Neque multum a vero recedere nobis videmur, si arbitramur ab illis potissimum gentibus eos plebeiorum deos cultos esse, qui in Romanam religionem recepti non erant; quorum igitur deorum sacra tanquam sacra gentilicia plebeia facta sunt.

Utcunque illa res, quam primoribus tamquam labris gustavimus, sese habet, Romae plebeiae illae gentes patriciis neque iure sacrorum neque iure civitatis pares erant: in iure tantum privato ea inter singulas ratio intercedere poterat, quae inter ipsas patricias. Plebs igitur usque ad legem Ogulniam a. u. 454. latam sacrorum iure plane carebat, et, si quid concessum erat, patriciis debebat, qui quidem tantam partem civitatis omnino despicere et reiicere non poterant, certeque, ut aliquam apud illos auctoritatem sibi pararent, ad nonnulla sacra aditum concedebant. Quae vero fuerint illa sacra, non liquet, quum patriciorum vel singulorum regum arbitrio certe haec res obnoxia esset. De iure quidem plebs a sacris mere patriciiis plane prohibita erat (teste Liv. X, 23.); a sacris publicis, quae vel

sacerdotum collegia vel singulae gentes faciebant, ita, ut adesse quidem nonnullis liceret, facere non liceret. Hoc modo plebeii, id quod iam in exordio commemoravimus, differebant a clientibus illis, quos gentiliciis sacris adesse oportebat, quum ipsi propria non haberent, et a servis, quorum ministerio patricii in sacrificando nonnunquam utebantur. Atque, quum apud Romanos moris non esset, ut festis diebus omnis populus templa introiret,[1]) sed soli sacerdotes pro populo sacra facerent, quum templum Opis Consiviae vel ipsis patriciis omnibus,[2]) sacrum Argeorum maximae eorum parti,[3]) Penatium Vestaeque[4]) et aliarum dearum fana nonnulla omnibus viris vetita essent, certe haec templa sacraque plebeiis non patebant. —

Praeter illa templa sacraque publica sacerdotia omnia plebi negata erant. Recte Dionysius hunc statum describit, licet de origine eius falsam habeat sententiam, dicens II, 9: „*Ὁ δὲ Ῥωμύλος ἐπειδὴ διέκρινε τοὺς κρείττους ἀπὸ τῶν ἡττόνων, ... διέταττεν . . . . . τοὺς μὲν εὐπατρίδας ἱερᾶσθαί τε καὶ ἄρχειν, ... τοὺς δὲ δημοτικοὺς τούτων ἀπολελύσθει τῶν πραγματειῶν.*“ Atque ille rerum status diu permansit, donec plebs lege illa Ogulnia ad pontificum augurumque honorem admissa est: ad prisca illa summaque

---

[1]) Illud enim discrimen inter christianas ecclesias et antiquorum deorum templa intercedit, ut in illis omnis populus congregetur omneque sacrorum participes sint; in his festa nunquam agerentur nec quisquam introiret, nisi qui sacra faceret. Si cum sacris epulae coniungebantur, ante fanum institui solebant. —

[2]) Cf. Varro VI, 21: „Opeconsiviae dies, ... quod (festum) ita actum, ut eo praeter virgines Vestales et sacerdotem publicum (Pontificem maximum) introeat nemo. Ad eandem rem Festus p. 186. b. s. v. Opima spolia; p. 249 b. 14. —

[3]) Auctore Dionysio (I, 38.): . . . *ἐν ᾗ* (*ἡμέρᾳ*. a. d. III. Id. Maias) *προθύσαντες ἱερὰ . . . οἱ καλούμενοι Ποντίφικες, ἱερέων οἱ διαφανέστατοι καὶ σὺν αὐτοῖς αἱ τὸ ἀθάνατον πῦρ διαφυλάττουσαι παρθένοι, στρατηγοί τε καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν, οὓς παρεῖναι ταῖς ἱερουργίαις θέμις, εἴδωλα . . . τριάκοντα . . . βάλλουσιν εἰς τό ῥεῦμα τοῦ Τιβέριος.*“

[4]) Ovid. F. VI, 254; Lactant. Inst. III, 20, 4. —

sacerdotia, quae principibus priscorum Romanorum diis sacrificabant, ne postremis quidem temporibus, ubi gentium auctoritas diu evanuerat, aditum sibi patefecit. Invisae illi tristique conditioni reges iam moderi studebant introductione Graecorum numinum sacrorumque, ita ut lectisterniis supplicationibusque plebs adesse posset; [1]) attamen multis post annis publici cultus publice tam non particeps erat, ut Decius Mus haec verba faceret: „. . . deorum magis quam nostra causa expetamus, ut, quos privatim colimus, publice colamus. [2])“ Optime consul ille plebeius suae religionis conditionem perspexit: proprios publicosque deos privatim colebant plebeii, eoque apparet munera plebeiorum sacerdotum, si qui fuerunt, publici momenti non fuisse, gentiliciis ad summum sacerdotiis paria fuisse. In plebeiorum sacerdotum ubique locum pontifices Romani publice successerunt, quibus peregrinorum deorum caerimoniae sacrique libri traditi erant, quique moderabantur, quaecunque ad illorum cultum pertinebant.

Quod si in templis plebeiorum, sive in urbe sive ruri sitis, sive novis, sive antiquis, prodigium aliquod eveniebat, Romam ad pontifices nuntius deferebatur, indeque et ibi piaculum parabatur teste Livio I, 31., ubi tradit ad piandum prodigium, quod lapidum casu in monte Albano evenerat, Romae „novendiale sacrum publice susceptum“ esse. Id omnino (ut hoc addere nobis liceat) auctore Ambroschio (l. l. p. 189.) inter plebem Romanam et illa municipia, quae diverso postea iure in rem publicam ingressa erant, in rebus sacris discrimen intercedere nobis videtur, ut plebs cum suis oppidis, suis diis, suo cultu Romanorum arbitrio sese dederit, [3]) municipiorum alia aequo foedere

---

[1]) Liv. XXII, 10: „supplicatumque ire cum coniugibus ac liberis non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam“ Id. VII, 28; XL, 37; Macrob. S. I, 16, 13. —

[2]) Livius X, 7. —

[3]) Cfr. ditionis formula supra relata. —

cum Romanis coierint, alia civitatem sine suffragio acceperint: quorum municipiorum Ambroschius, quocum nos consentimus, priora suum cultum plane retinuisse arbitratur, sed ita, ut Romanis ad illorum sacra adire liceret [1]); quae vero sine suffragio in ditionem recipiebantur, quum publicam administrationem amitterent, sacrorum curationem retinebant [2]), sed ita, ut, si quid omittebatur in cultu vel committebatur, vel si prodigium eveniebat, a Romanis pontificibus, quibus sacri libri praesto erant, Romae peregrino illi deo piaculum solveretur utque, si donum quod esset, in illius dei sedem mitteretur. [3]) Plebs vero, cui neque civitas data neque propria sacrorum curatio relicta erat, suae religionis populum Romanum arbitrum fecerat, ideoque, quaecunque cum religione coniuncta vel agebat, vel committebat, pontifieum iudicio obnoxia erant. Declarat hoc Dionysius (II, 73.) claris verbis: „*Τοῖς δὲ ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴσασι τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἢ δαιμόνια σεβασμοὺς, ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προφῆται*“ (sc. *οἱ ποντίφικες*); *τοὺς ἰδιώτας* vero hoc loco plebem quoque et praecipue significare apparet ex verbis Livii (I, 20.): „Cetera quoque omnia publica privataque pontificis scitis subiecit, ut esset, quo c o n s u l t u m p l e b e s veniret.“ [4]) Haec pontificum cura ex sententia illa prodit, secundum quam omnis publica salus e religione pendeat, et quidquid ab ullo cive ullo imperii Romani loco committatur, publice luendum sit; qua

---

1) Cfr. Liv. VIII, 14. —

2) Auctore Ambrosch. p. 185. sq. —

3) Ita Lanuvini, quibus publicarum rerum administratio relicta erat, prodigia, si qua evenerant, Romam nuntiabant, unde piabantur. Vide Liv. XXI, 62: „Romae aut circa urbem multa ea hieme prodigia facta . . . aut multa nuntiata: . . . Lanuvii hastam se commovisse . . . et donum ex auri pondo XL Lanuvinum ad Iunonis portatum est“; quo loco multitudo quaedam externorum prodigiorum enarratur, quae Romae piabantur. Cfr. ibid. XXII, 1; XXIII, 31. —

4) Quod si Livius Numa regnante plebem iam exstitisse arbitratur, eodem in errore versatur, quo Dionysius, qui inde ab origine Romae plebem fuisse censet. —

quidem in re ad comprimendam plebem multa instituta esse nemo negabit. Sed illius pontificum curae gravissima exempla afferri possunt. Tradit enim Servius (ad V. Georg. I, 272.) haec: „Sed qui disciplinas pontificum inferius agnoverunt, ea die festo sine piaculo dicunt posse fieri, quae supra terram sunt, vel quae omissa nocent, vel quae ad honorem deorum pertinent, et quidquid fieri sine institutione novi operis potest, ut rivorum inductionem sic accipiunt, per fossam vel pratum purgatum deducere, i. e. emittere, quoniam cautum in libris sacris, ut feriis denicalibus [1]) aquam in pratum ducere, nisi legitimam, non liceat, ceteris feriis omnes aquas licet deducere. Ergo hic deducere est sordes emittere, quae praecludant aquam, ideoque a pontificibus, ut novum fieri non permittitur feriis, ita vetus purgari permittitur"; ibid I, 268. ille „Feriis", inquit, „terram ferro tangi nefas est." De aliis rebus, quae ferialibus diis agendae vel non agendae sint, alii auctores agunt: de luendis ovibus Macrobius (Sat. 1, 16, 12; III, 3, 11.); de iungendis matrimoniis idem (l. l. I, 15, 21.); de boum, equorum, asinorum, mulorum usu Cato (r. r. 138.); de diversis rebus Columella (II, 22; XI, 120.) Quae res quum partim ab universo populo, partim a plebeiis tantummodo agerentur, quippe qui, ut agricolae, eiusmodi operationibus praecipue vacarent, apparet hos plebeios Romanos in omnibus rebus, que ullo modo cum religione cohaerent, pontificum scitis curaeque obnoxios fuisse. — Diximus de publicis feriis: privatas [2]) quoque, quae a patriciis aeque atque a plebe agi poterant, sacerdotes illi regebant. Neque minus locus, qui fulmine tactus erat, publicum piaculum flagitabat; quod fulmen cum terra, quae tacta erat, et cum lapide quodam in puteali vel bidentali quod vocant sepeliri solebat. Atque

[1]) Cf. Paul. p. 70: „Denicales feriae colebantur, quum hominis mortui causa familia purgabatur." —

[2]) Cfr. Festus p. 242. b: „Privatae feriae vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationis † denicales etc." —

ut fulgurum, quae in terram deciderant, ita hominum mortuorum sepultura multis caerimoniis anxie agebatur, quum funere aliquo omnis domus pollueretur; et caerimoniae, quibus quis sepeliretur, locus, ubi humaretur, in sacris pontificum libris praescriptus erat.

Plebs igitur, quum ipsius cultus publicis sacerdotibus obnoxius esset et ipsa publicae religionis praecepta ut partim agnosceret cogeretur, quum in pagis quoque suis eos Romanorum deos colere posset, quorum cultus Romae liceret, quum a summis illis sacerdotiis antiquitus usque ad extrema tempora plane arceretur, ad nonnulla post graves contentiones accederet: priscis temporibus ea facultate plane carebat, quae in omnibus rebus tum privatis tum publicis maximi momenti erat: dicimus ius auspicandi. Auspicia plane apud patres gentesque erant, et, quum plebs consulatum iam obtinuisset, ab auspicando eam prohibere patricii studebant. Probant hoc rerum auctores. Nam quum Canuleius rogationem illam promulgaret, ut plebi cum patriciis connubium esset, hoc plebeiae potentiae incrementum ea ratione impedire et irritare volebant, ut negarent fas esse ab illis auspicia fieri. „Quas quantasque res" — ita Livius IV, 2. patriciorum consulum verba refert — „C. Canuleium agressum? Colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum privatorumque afferre... ut, qui natus sit, ignoret... quorum sacrorum sit. (cap. 6: Consul respondit), quod nemo plebeius auspicia haberet: ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur." Rursus apud eundem rerum auctorem (VI, 41.) Ap. Claudius Crassus contra rogationem Licinianam quum alia tum haec profert: „Auspiciis hanc urbem conditam esse, auspiciis bello et pace, domi militiaeque omnia geri quis est qui ignoret? Penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? Nempe penes patres: nam plebeius quidem magistratus nullus auspicato creatur. Nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum, quos populus creat patricios magistratus, non aliter, quam auspicato, creet; sed nos

quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus, et privatim auspicia habeamus, quae isti ne in magistratibus quidem habent.“ Privatorum illorum apud patricios auspiciorum exemplum Cicero affert loco supra iam laudato (de div. I, 16.). —

Postquam igitur usque ad hunc locum publicam privatamque plebeiorum in rebus sacris conditionem illustrare conati sumus, restat, ut pauca de iis dicamus, quae plebi propria erant, de templis, de sacrorum ratione et natura, de deorum statuis, de aliis rebus.

VII.

Agitur de nonnullis rebus, quae ad religionem plebeiam pertinent.

Ac primum quidem de templis sacellisque pauca referre iuvat nos.

Licebat plebeiis propria templa condere vel numini alicui locum consecrare, quum antiquorum deorum plerumque cultus eiusmodi locum, sive templum, sive fanum, flagitaret, et plebiis sui dii relicti et concessi essent; et haec nostra sententia eo probatur, quod Ceres et Pudicitia plebeia templa habebant. Quum horum templorum situs et dedicatio, tum, si novum numen in religionem recipiebatur, colendi ratio pontificum curae scitisque subiecta erat. Quod ad situm sacellorum attinet, iam supra negavimus ullam plebeii dii aedem intra auspicatum pomoerium condi potuisse, quum plebeia quoque religio Romanis peregrina esset. Dedicandorum deinde ius templorum penes pontifices fuisse propterea videtur, quod priscis iam temporibus huic iuri plebs repugnavit;[1]) iisdemque pontificibus inspiciendi approbandique cultus plebeii potestatem fuisse arbitrandum est, quum ille cultus publicis legibus et caerimoniis saepius adversari posset.

De sacrorum ratione et natura non multa dicenda sunt. Haud recte Pellegrino eodem quem supra refutavimus errore adductus plebeiae religioni animalium mactationem tribuit, publicae frugum salisque oblationem. Ea enim ho-

---

[1]) Cfr. Liv. II, 27; IX, 46. —

mines diis offerre solent, quae ipsis vel diis cara aut infesta sunt, quaeque suae vitae conditioni maxime respondent. Recte igitur apteque secundum s. Scripturas Abel pastor summo deo agnum caedit, Cain agricola fruges terrae comburit; et eadem ratione omnes certe agunt, qui naturali religioni addicti sunt. Hoc in publicam plebeiamque quoque religionem cadit; quarum naturâ non probatur aut huic cruenta aut illi incruenta tantummodo sacrificia fuisse: imo, ambo utrique genera nota et usitata erant. Quodsi Plinius (H. N. XVIII, 2, 7.) nobis repugnare videtur, quum dicat: „Numa instituit deos fruge colere et mole salsa supplicare", haec verba nihil probant nisi fortasse ab illo rege vel quovis ab alio aliquo tempore hominum et animalium immolationem abolitam esse: certe aliquando publicus cultus eiusmodi sacra poscebat, id quod exemplis ostendere possumus. Teste Dionysio (II, 10.) is, qui clientelam violaverat, „ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος, τὸν δὲ ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον ἦν ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός." Erat igitur illa hominis caedes sacrificium aeque ac poena. Terrestres deinde dii omnes omnino antiquis temporibus hominum sanguine piabantur [1]); iisdem diis, ubi pugna in dubium venerat, imperator sese devovere solebat. Eundem usum publicum illud Argeorum sacrificium redolebat, in quo secundum rerum auctores antiquitus homines occidebantur. [2])

Itaque quum Romani prisco illo tempore, ubi origini suae propiores adhuc religionem cultumque, quem ex suis

---

[1]) Cfr. Servius ad Aen. III, 67. —

[2]) Cfr. Dion. I, 38: „Λέγουσι καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν (τοὺς Ῥωμαίους) τῷ Κρόνῳ τοὺς παλαιούς, ὥσπερ ἐν Καρχηδόνι . . . καὶ ἐν ἄλλοις τισὶ τῶν ἑσπερίων ἐθνῶν ἀνδροφόνους;" et Ov. F. V, 626. sqq.:

„Talia fatidici dicta fuere Iovis:
Falcifero libata seni duo corpora gentis
Mittite, quae Tuscis excipiantur aquis."

Ad eandem rem cf. Ambrosch. l. l. p. 213. ann. 64. —

sedibus in novam patriam secum tulerant, minus corruptum et commutatum et amplificatum habebant, a cruentis sacrificiis non abhorrerent, merito concludi posse nobis videtur illos quoque homines, qui cum patriciis Romanis eadem e natione oriundi erant, scilicet plebeios, eiusmodi sacrorum non ignaros fuisse: ad haec incruentam frugum immolationem accessisse supra docuimus. Si quod discrimen inter publica et plebeia sacra intercessit, hoc fortasse fuit, ut, quum Romanorum deorum cultus sensim difficilem illam diligentiam, facilem apparatum nancisceretur, plebeia sacra in utraque re facilia essent, sicut naturali religioni par est: licet ne illud quidem affirmari possit, quia plebis quoque, quod supra probavimus, sacra pontifices inspiciebant et curabant.

Itaque quum de natura illorum sacrorum egerimus, materiam et rationem eorum paucis adumbrabimus. Licet de hac re nonnulla ab Ovidio referantur, tamen haud multum probant, quum sui temporis plebeios ille intelligat, quibus priscus certe usus vel plane evanuerat, vel saltem corruptus erat; neque fere apud alios scriptores, licet de publicis sacrificiis copiose agant, nostrorum mentio fit. Attamen patet plebeios aliis rebus deos placasse, alio modo festos dies egisse: quam rem exemplo probare conamur.

Ceres, quae a plebe praecipue colebatur, dea terrestris fuit eique ab a. d. IV. Id. Mai. usque ad a. d. XIV. Cal. Iun. Cerealia agebantur, quibus feriis plebs praesertim diversis gaudiis sese dedebat: deae illi tunc porca mactabatur.[1]) At paullo antea, scilicet a. d. XVII. Cal. Mai., a patriciis Telluri, quae eadem terrestris dea fuit, Fordicidia agebantur, et rex sacrorum, qui patricii generis erat, illi deae mactabat vaccam praegnantem, cuius vitulus nondum partus sacro igne in cinerem redigebatur (Ovid. F. IV, 665.).

Itaque quum utrumque sacrificium diversum cultum significet, hoc eo potius inde elucet, quod ostendimus Ce-

---

[1]) Cf. Macrob. I, 12, 23; Ovid. F. I, 671. —

rerem non solum plebeiam, verum etiam publicam deam fuisse nomenque eius in publicorum deorum numero contineri.[1]) Omnia enim illa numina, quae in indigitamentorum libris continebantur, certorum deorum nomen habebant. Deinde, si quando duobus una diis templum quis conditurus vel sacra facturus erat, hoc non permittebatur, nisi duo illi certi erant dii, auctore Livio (XXVII, 25.): „(Marcellus) quum . . . aedem Honori et Virtuti vovisset, dedicatio eius a pontificibus impediebatur, quod negabant unam cellam duobus recte dedicari . . . Neque enim duobus, nisi certis, deis rite una hostia fieri.“ Atqui Servius (ad Georg. I, 21.) haec habet: „Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat flamen, sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri.“ Itaque propterea, quod a flamine patricio et quod omnino duabus una deabus sacrum illud fiebat, Ceres, altera earum, in indigitamentis publicis invocata sit necesse est; atque, ut supra probavimus, apud plebem et in religione publica diversum habet cultum. Idem discrimen invenimus in colenda Fortuna Virili, quae eadem esse dicitur atque Venus. Sacrae ei erant Calendae Apriles, quibus de feriis Lydus (de mens. IV, 45.) sic tradit: „*Ταῖς τοίνυν καλένδαις Ἀπριλίαις αἱ σεμναὶ γυναικῶν* (sc. patriciae matronae) *ὑπὲρ ὁμονοίας καὶ βίου σώφρονος ἐτίμων τὴν Ἀφροδίτην, αἱ δὲ τοῦ πλήθους* (plebeiae) *γυναῖκες ἐν τοῖς τῶν ἀνδρῶν βαλανείοις ἐλούοντο πρὸς θεραπείαν αὐτῆς μυρσίνῃ ἐστεμμέναι.*“

Complura ad confirmandam et explicandam hanc cultus differentiam exempla propter fontium quam iam supra conquesti sumus paucitatem nobis non adsunt; at, quum iis, quae disseruimus, tum eo, quod publici cultus licentiam plebs non habebat, quae contendimus, plane probantur.

---

[1]) Cum supra ex Mommsenii lectione: „DVONVS CERVS“ femininam formam „CERES“ derivari posse arbitrati simus, postea vidimus a C. O. Müllero ibi prorsus pro „DVO MISCERVSES“ (nonnull. codd. lect.) legi DVONAS CERVSIS, quod ille explicat per „bonae Cereris.“ —

Si quis quaesiverit, num diversa ratione patricii plebeiique deos sibi finxerint quaque eos forma induerint, dicendum est, iis temporibus, quorum religionem anqnisivimus et tractavimus, nullum fere discrimen fuisse. Patricii enim usque ad introductionem librorum Sibyllinorum Tarquinio regnante, i. e. per totum illud tempus, cuius statum consideravimus, imagines deorum plane non habuerunt. Docet hoc Plutarchus (in vit. Num. c. 8.), et S. Augustinus (c. d. IV, 31.); quos locos integros supra (p. 23, ann. 1.) iam laudavimus. Consentiunt cum illis auctoribus Cicero (de nat. deorum III, 17.): „Meliora didici de diis colendis capedunculis, quas Numa nobis reliquit", et Tertullianus (apol. adv. gent. 25.): „Et vasa adhuc Samia et nidor ex illis, et deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant." Accedit, quod etiam posterioribus temporibus Mars pro imagine hastas habebat, id quod intelligimus ex S. C. quodam (apud Gellium N. A. IV, 6.): „In sacrario in regia hastas Martias movisse." Fortasse igitur haud prave epitomator Trogi (Iustinus XLIII, 23.) censet priscos Romanorum deos omnes non imaginibus, sed hastis puris effictos esse. Cum illo auctore Pellegrino (l. l. c. I.) facit; sed in eo errat, quod, quum plebem ab Etruscis oriundam faciat, deorum imagines illi tribuit, et hac praecipue re plebeium cultum a publico differre vult. Imo, plebs e Latina stirpe orta statuas deorum non habuit, quippe quibus ipsi Latini carerent; cuius rei testis est Timaeus, qui, secundum Dion. Hal. I, 67., Lavinii in penetralibus deorum negat quidquam sese invenisse nisi „κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ καὶ κέραμον Τρωικόν." Item Vesta, cuius cultum Lavinio Romam translatum esse scimus (Liv. I, 20.), in urbe ideoque Lavinii effigiem non habebat, teste Ov. Fast. VI, 295:

„Effigiem nullam Vesta nec ignis habet." —

Si usque ad hunc locum ea, quae disseruimus et anquirere studuimus, attento animo secutus eris et perpende-

ris, facile intelligis nos non opus omnibus numeris perfectum absolvisse neque fortasse certam quandam plebeii cultus imaginem reddidisse. Quod quum artos opusculi nostri limites longius extendisset, quum probandae rei saepius exempla et documenta nos defecissent, contenti erimus, si pauca tantum principia constituerimus, unde de ea ratione indicium ferri possit, quae inter publicam plebeiamque religionem cultumque ante liberam rem publicam revera intercesserit; quae si paucis verbis repetere nobis licet, haec fere sunt.

Ipsorum patriciorum Romanorum prima et nobilissima pars quum e Latio oriunda fuerit et plebs quoque inde originem suam duxerit, utraque rei publicae pars ex natura agrestium religionum complures deos eorumque cultum communem vel similem habuerit necesse est, id quod probavimus, quum praecipua numina Latinorum (et propterea plebeiorum) anquisiverimus eaque cum Romanis diis comparaverimus. Ostendimus deinde ex more Romanorum plebi licuisse propriorum deorum partem saltem retinere, eosque et Romae et ruri propriis templis propriisque sacris colere, quatenus publicus cultus non impediebatur. Tunc probavimus plebem in omnibus rebus, quae ad religionem pertinerent, publicis sacerdotibus obnoxiam et a publicis sacris et sacerdotiis, et ab auspiciis prohibitam fuisse; atque postremo de nonnullis rebus, quae ad plebeium cultum pertinebant, de templis, statuis deorum, sacrorum natura nostram sententiam in medium protulimus.

Ex iis, quae disseruimus, apparet plebem, quum in rebus publicis, quod rerum scriptores docent, tum in sacris intra fines nimis artos constitutam fuisse. Rectissime Tarquinii iam intellexerunt tantam hominum multitudinem, quum a gravissimis rebus nimis prohiberetur, rei publicae studiosos utilesve esse non posse; ideoque Tarquinius Priscus publicae religionis communionem ad plebem conferre conatus est, sed frustra. Servius deinde Tullius, quum novam ordinandae rei publicae rationem introduceret, quum religionis arbitrium patribus relinqueret, rem familiarem publicorum

obtineret: priscorum vero deorum sacra collegia, quae in civitate nullius iam momenti esset, nunquam ad se vindicaret. Idem illud novi studium, quod Capitolinorum deorum introductione Romanos semel invasit quodque plebem praesertim tenuit, artissime cum civilibus contentionibus coniunctum erat, neque errare nobis videmur, si pari modo et religionem deorumque numerum amplificatum et imperium Romanum quum introrsus tum extra extensum et corroboratum esse censemus, et hanc arctam sacrorum publicorumque rerum coniunctionem praecipuam causam fuisse arbitramur, cur, quum prisca mentis simplicitas, patriae amor, animi fortitudo e Romanis, nobilibus et obscuris, evanuisset, omnis quoque deorum religio in civitate periret, et in locum sacrae pietatis priscorum [illegible] [illegible] monita dira et foeda illa superstitio succederet.
